N: 66

RUDOLF HEGER
Buchhandlung u. Antiquariat.
· WIEN ·
I., WOLLZEILE 2.

N. VI. Am
11308/A

L 63

(2)

# PHILALETHA ILLUSTRATUS,

*Sive*

# INTROITUS APERTUS

*Ad*

# OCCLUSUM REGIS PALATIUM,

Novis quibusdam Animadverſio-
nibus explanatus.

CUM NOVA PRÆFATIONE

*Qua Vita pariter ac Scripta, tum edita tum inedita, Æyrenæi Philalethæ breviter exponuntur.*

Acceſſit his Narratio

DE VITA ET SCRIPTIS STARCKII,

*Nec non*

DN. DOCT. BECHERI PANTALEON delarvatus.

*Operâ*

JOH. MICHAELIS FAUSTII,
Medic. Doct. Reiquepublicæ Francofurtenſis
ad Mœnum Phyſici Ordinarii,
*In Collegio Curioſorum dicti Theophili.*

Francofurti ad Mœnum,
Sumpt. JOH. PHILIPP. ANDREÆ.
ANNO M DCC VI.

# PANTALEON.

IN *Monarchia Romana ante Centum aliquot Annos, quantum ſcitur, floruit* Lullius *&* Arnoldus, *ſucceſſit dein, poſt interſtitium quoddam temporis,* Augurellus, *de quo fertur, quod* Leo X. Pontifex Romanus *Ipſi, pro dedicato ſuo pulcherrimo & pretioſiſſimo Poëmate Alchymiſtico, obtulerit Peram cum hoc Annexo Scommate: Si ſciret Aurum ipſemet conficere, non indigeret niſi Receptaculo. Quæ reſponſio quadrat ſicut pugnus ad oculum. Magna enim differentia eſt inter Theoriam & Praxin, inter Principium & Finem, inter Actum & Potentiam. Non cuilibet contingit adire Corinthum eo momento, quo viam didicit, propter defectum commeatûs neceſſarii: ut neque ſequitur: Scio Magiſterium Tincturæ Metallicæ, ergo valeo practicare; quia deeſſe poſſunt ſumtus, Occaſio, Locus, Vires ac Sanitas. Inſulſa ergo argutia eſt objiciendi, ſi Scis, ergo Fac.*

VIRIS

Splendore Generis & Meritorum Gloria Illuſtribus,

*Magnificis, Strenuis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis,*

DN. PRÆTORI,
DNN. CONSULIBUS,
DNN. SCABINIS,
DNN. SYNDICIS & SENATORIBUS,

*Inclutæ & perantiquæ Imperialis Liberæ Civitatis Francofurtenſis,*

Uſu Rerum, & Regendi Prudentia Laudatiſſimis,

*Dominis ac Mecœnatibus meis, ſummopere Colendis,*

pariter atque Obſervandis,

*Has qualescunque pagellas ſacras eſſe vult*

Joh. Mich. Fauſt.

# *VIRI*

## Illuſtres, Magnifici, Strenui, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimique.

*ARduum omnino eſt, quod vigiles Veſtras pro Salute incomparabilis hujus Reipublicæ interturbare curas audeo, atque leve hoc monumentum devinctæ men-*

*mentis meæ Veſtris Splendidiſſimis Nominibus conſecrare molior. Enimvero cum infinita pene ſint, quibus æternum me vectigalem dudum reddidiſtis, poſteaquam me ex Treboccis huc commigrantem benigniſſimè excipere, in Civium adſcribere numerum, eaque in me perauſpicati Favoris Veſtri argumenta conferre haud dedignati eſtis, quæ in honeſtioris ſortis homines, ſingulari quadam ac Vobis propria benignitate, derivare ſubinde conſueviſtis: tum illud*

*profectò inuſitati beneficii genus, quo Medicinæ faciundæ munia certa atque ordinaria in Urbe Veſtra perliberaliter mihi conceſſiſtis, quotidie me ad habendas referendasque gratias exſtimulavit pariter ac vel reluctantem obſtrinxit, ut de publica quadam teſſera religioſæ obſervantiæ meæ, animique, nominum fide debentis, juſtas rationes inirem, gratæque adeo mentis victimam facere conniterer. Cæterum cum multa ſeſe in vaſtiſſimo hoc Naturæ Regno*

*argu-*

*argumenta offerrent, atque non utilitate modo, ſed jucunditate quoque abunde co̅mendarent; ex quorum innumerabili copia flores quosdam fragrantiſſimos decerpere, atque ad limina ædium Veſtrarum, Patroni Maximi, Veterum more, ſpargere in animum induxeram: Neſcio quo tamen caſu his cogitationibus defixo occurrebat* Æyrenæus Philalethes, *homo Anglus, & literis imprimis ſecretioribus, naturæ abdita rimantibus, (quæ gloria genti huic pro-*

*pria eſt, & facile Gallis, Italis atque Germanis, palmam ambiguam facit ) ſupra ſeculi ſortem imbutus, &, ſi fides maximis habenda hominibus eſt, non ſectator duntaxat, ſed & poſſeſſor Aurei Velleris, ac ſummus in Metallorum tranſmutatione Artifex dicam? an Myſtes. Cujus libellum cum magni fieri viderem à Viris in hoc doctrinæ genere excellentibus,* Wolffgango *imprimis* Wedelio, *Jenenſium Galeno, fama ac meritis in rem Medicam ac univerſum*

*Literatum orbem dudum immortali, qui dignum illum cenſuerat, quem Præfatione pariter ac calculo ſuo graviſſimo ornaret; volupe profecto fuit, tum Anglici itineris, quod Anno recuperatæ ſalutis M DC XC. ſuſceperam, fructum non fallacem, atque vel eo nomine pergratum haurire, tum etiam honorificæ illius conſuetudinis memoriam in animum revocare, quæ mihi ex cultiſſima illa peregrinatione reduci, cum incomparabili* Wedelio *interceſſit. Dici non poteſt,*

*quanta ipſum voluptate perfuderim, ubi recentiſſimum tum temporis inventum, nec in ulla orbis parte viſum hactenus Microſcopium ei oſtenderem, tanta arte, tanta cura præparatum, ut ipſam circulationem ſanguinis, (quod fieri haud poſſe crediderant alii) in animali vivente ſatis dilucide commonſtraret. Interfueram ipſe Londini Artificis oppidò magni (cui nomen* Maling) *officinæ, nec pœnitebat ipſam Vitri illius tractationem penitius introſpicere,*

*quam*

*quam tribus perſpicillis, oculorum radiis adaptatis, adeo curate, adeo ſolerter inſtituebat, ut confectis tandem binis rariſſimi uſus Microſcopiis, unum Illuſtriſſimæ Societati Regiæ offerret, alterum, amoris cauſa, mihi pecuniæ interventu concederet. Ex quo intelligi poteſt, non ex vulgarium numero illud nobiliſſimum inventum fuiſſe, qualia Batavi dudum dedere, nec temnenda cæteroqui induſtria elaboravere, ſed ipſius etiam* Antonii de Leuwenhöck, *qui familiam*

*in*

*in accurandis illis duxerat, perſpicaciam longo poſt ſè intervallo relinquere. Viderant idem ſtupendi laboris opus à me primum in Germaniam aſportatum Medici Excellentiſſimi* Dn. Joh. Georg. Volckamerus, *Academiæ Leopoldinæ Naturæ Curioſorum Præſes, per id temporis Splendidiſſimus, nunc, ita jubente Numine, rebus humanis proh dolor! exemptus, necnon Lipſienſium Hippocrates* Dn. Johan. Bohnius, *quorum alteri ita innotui, ut communicato*

Tho-

Thomæ Sydenhami, *Proceſſu integro in curandis morbis fere omnibus, quem nondum viderat Germania, quemque Miſcellaneis Naturæ Curioſorum deinceps inſertum eſſe intellexi, numero Illuſtris hujus Societatis me adſcriberet, atque* Theophili *nomine inſigniret; alteri certe plurimum in ea arte, quæ Medicinam facit, Chemiæque ac Chirurgiæ ſtudiis litat, debere me cum honoris præfatione publice profiteor. Sed de* Philalethe *obſcura ubique fama.*

*ma. Erant enim, qui nunquam interfuiſſe rebus humanis ejusmodi hominem opinabantur, alii ſummum quendam Naturæ Myſten perſonatum hoc nominis induiſſe ſtatuebant: Ipſe magnus* Wedelius, *juſtus æſtimator ſtudii Chemici, etſi nihil de vita ejus certi pronunciare audebat, qua ſolet eſſe in ſcribendo circumſpecta modeſtia, vulgo tamen eum inter Anglos vel ipſo etiam nomine ſatis notum eſſe facile concedit. Quare cum multa mihi de Auctore,*

*ejus-*

*ejusque vitæ genere, ac editis & ineditis etiam ingenii monumentis conſtarent, quorum cognitio admodum jucunda Londini commoranti mihi accidit; neque plane abhorrerem à recondita illa divinitate Alchemiæ, utpote quam maximorum hominum exemplo ita mirari juxta ac rimari conſueveram, ut neque immodicos in eam ſumptus profundendos, nec pro more vulgi ut vanam ac nugatoriam penitus deſpiciendam eſſe cenſerem: adjeci tandem animum,*

*hunc* Philalethen, *tanti à Viris ſummis factum, quibusdam animadverſionibus meis, in abſtruſo hoc ſtudii genere, quantum per negotiorum rationem fieri potuit, elucubratis, illuſtrare, pariter ac planiorem magisque perſpicuum orbi erudito dare. Nolo hic prolixos Sermones de Alchemiæ profunditate atque præſtantia texere, aut certitudinem ejus artis longa experimentorum recenſione docere, quam ſcio elevari à multis, proſcindi paſſim, ac tantum non pro*

*in-*

*inepta minimeque in rebus-publicis Chriſtianis toleranda haberi, quos vel ſolum Experientiſſimi* Wedelii *judicium, quod præter Ampliſſimum* Langium *pro* Philalethe *interpoſuit, conſultare poterat;* Veros *ſcilicet* Chemicos & ſcientia Artis contentos eſſe, utpote non uno nomine uſum in humanum genus derivantes, ſanandi autem ac juvandi hac arte gloriæ divinæ velificantes, avaritiamque luxuriem & abuſum omnem deteſtantes. *Poteram & ea in ſubſi-*

*dium vocare, quæ olim pro hac cauſa in* Mineralogia *mea, hic typis exſcripta, atque in lucem publicam emiſſa, commentatus fui: Id ſaltem nunc pace Veſtra, Viri Illuſtres, pro aſſerendo decore præſtantiſſimæ artis monere allubeſcit;* ducere illam ad naturæ arcana ſancte rimanda, atque vel imprimis ad Majeſtatis divinæ profundiſſimam Sapientiam, quam in hanc quoque doctrinæ partem abunde demiſit, pie ſcrutandam admirandamque non uno nomine pertinere.

nere. *Cujus expreſſa veſtigia toties deprehendi ac velut manu palpavi, quoties apud Saxones, Pannones, Sueonas, non ſine capitis periculo metalli fodinas adii, perluſtravi, ac cum hominibus metallicarum rerum peritiſſimis frequentes ſermones miſcui & de foſſilium natura ac viribus, de ſingulari ea tractandi ratione, de tranſmutandi ſcientia, de ſeparandi artificio, quo Mineralia dignoſcenda ſunt, aliisque egregiis obſervationibus, quarum inſignis in re*

*Medica uſus eſt, diſſerui non raro ac diſquirendo percenſui. Ita enim pro comperto habeo, tribus velut gradibus ad ſummam rerum naturalium, quoad ejus fieri per imbecillitatem noſtram poteſt, ſcientiam nos adſpirare poſſe, Metallurgia ſcilicet, quæ circa cognoſcenda probeque ſejungenda corpora naturalia occupatur, eaque tam commode præparat, ut tanto felicius digeri poſtea, magisque arduis operationibus adhiberi poſſint. Siquidem hinc ſtatim*

*tim ſecundas ſibi partes Chemia vendicat, quæ docet optimos ſuccos ex ſeparatis illis corporibus elicere, atque in uſus humanos, Medicis rebus convenientes, apte convertere: unde patet, eam non Mineralia modo, ſed ipſa quoque terra naſcentia, & animalia cætera ſuo ambitu complecti, ac latiſſime adeo porrigi. Contra Alchemia altioris indaginis eſt, & auri præparandi reconditam rationem exponit, quorſum & alia metalla nobiliora referuntur. Ac priores quidem*

*dem gradus omnibus naturæ arcana ſcrutantibus, Medicorum cumprimis filiis maxime neceſſarios eſſe, nemo, opinor, qui juſta rem via reputat, in dubium vocabit. At Alchemiæ longe profecto alia habenda eſt ratio, quæ cum ſingulari Numinis beneficio donetur, atque in abdito lateat, nec niſi iis obtingat, qui vitæ morumque ſanctitate & longo rerum uſu divinam benedictionem ciunt; hinc facile illa ab abuſu ſejungi, atq́ innocentiæ ſuæ vindicari poterit. Interim*

*ſic*

*ſic mea fert ratio, ſemper omnino aureum illud Poëtæ recogitandum eſſe:* Ne quid nimis, *tum quod in occulto lateat diviniſſima illa Artium, tum quod non omnibus Corinthum adire liceat, niſi quis forte ſolidis rationibus certiſſimisque experimentis, aut ſingulari quodam Numinis Dono ſit inſtructus. Quo ipſo tamen certitudinem aut veritatem principis hujus Artis minime ambiguam reddo, quis enim adeo inficetus aut abſurdus? ut vocare in dubium velit, quod*

 *maxi-*

*maximi Imperatorum, Regumque ac Principum, ſuis oculis uſurpavere, in quibus vel ſolum Ferdinandum III. commemorabo; qui Pragæ ejusmodi operationi ipſe interfuit, qua ſumma auri nota inſtar Solis ex thalamo ſuo prodibat, atque tranſmutandi artificio, Copia bene multa optimi hujus metalli, obryzum æquantis, omnium ſeſe Oculis conſpiciendum præbebat, in cujus rei fidem auſpiciis Ferdinandi, tabulæ æreæ publicè poſitæ fuere, quæ in perpetuam rei memo-*

*memoriam hodienum conſpiciuntur; ut nihil nunc moneam de his quæ lapſo circiter quinquennio, teſte* Bechero, *Moguntiæ geſta ſunt, ubi inſtituto eodem Proceſſu Alchemico, inſpectantibus Sereniſſimo Electore aliisque magni Nominis hominibus, ignobilioris ſortis metallum tinctum pariter ac in auri naturam converſum fuit, quo de nihil omnino me dubitare ſinit, cum exploratum habeam, nummos quoque aureos, inſignibus Electoris ornatos, ex eadem maſ-*

*maſſa conflatos publicaque autoritate comprobatos fuiſſe. Quare ſua omnino diviniori huic arti Veritas conſtabit, dummodo is, qui illi operaturus eſt, non Metallurgiæ modo, ſed & Chemiæ peritia accuratiſſima polleat, eaque omnia ad manum habeat, quæ & adjumento pariter & ornamento eſſe poſſunt, in quibus haud exigui ſumtus facile primum locum obtinent, quorum ope ex illo Democriti puteo, longo rerum uſu, crebriſque experimentis aurea*

*hæc*

*hæc vena extrahenda eſt. Sed nolo his diutius immorari, tum ipſius Veritatis, quæ pro me intercedit, tum graviſſimo tot maximorum hominum calculo per Univerſum Europæ latus toties confirmatus. Id nunc potius mihi agendum eſſe judico, Veſtram,* Patres *hujus Reipublicæ* Illuſtres, *ſollicitare gratiam, ut hunc* Philalethen, *ſummum ſcientiæ abſtruſioris Chemicæ Doctorem, meque Ejus Explanatorem benignitatis Veſtræ radiis colluſtrare, & inter*

*tot*

*tot Libraria Opera, quibus Urbs Veſtra naturali quodam bono præ cæteris exſplendeſcit, ac velut Muſarum Alumna præeſſe iis cernitur, vel aliquo ſaltem loco eſſe patiamini. Cujus voti ſi me ſubmiſſum Civem Veſtrum compotem feceritis, non pœnitebit certe Anglo Homini hoſpitalitatis teſſeram porrexiſſe, ac in Germania nunc denuo recuſum benigne excepiſſe. At ego vero non poſtremam felicitatis meæ partem in hoc conſecutus fuiſſe videbor, ſi intelle-*

*tellexero, non diſplicuiſſe Vobis, Splendidiſſimi Proceres, conatum hunc meum, animumque, ſalſa etiam mola, cum thura non ſuppetant, litaturum. Siquidem Æternum Numen aſſiduis fatigabo precibus, ut Vos Veſtrasque Familias Generoſiſſimas pariter ac Nobiliſſimas, quam diutiſſime rebus humanis intereſſe, huic Florentiſſimæ Reipublicæ, quæ Veſtris Prudentiſſimis Conſiliis hoc robur ſuæ Felicitatis debet, porro præeſſe, ac perpetua denique pro-*

*proſperorum ſerie palam beatos eſſe jubeat. Hoc vovet, hoc ſciſcit precibus atque expoſcit*

Illuſtris Senatus ac
Inclyti Ordinis Veſtri

Francofurti,
d. 10. Octobr.
1705.

*Summa animi religione obſervantiſſimus,*

Joh. Michael Fauſtius,
Medicinæ Doctor,
Phyſicus Ordinarius.

*Præ-*

C. D.

## *Præfatio ad Lectorem*

## Joh. Mich. Fauſtii.

MUlta omnino ſunt, quæ me in eam mentem impellunt, ut de Philalethe noſtro, cujus Palatium novis quibusdam animadverſionibus illuſtratum luci damus publicæ, paulo diſpiciam accuratius, & quantum per occupationes fieri licet, de Vitæ genere pariter ac Scriptis, vix ac ne vix quidem in Germania apparentibus, non nulla in medium afferam. Neque enim audiendos eſſe illos exiſtimo, qui de utroque ambigunt, ac plane pernegant, interfuiſſe unquam rebus humanis Phi-

lalethen (ſive verum tandem ſive perſonatum illud nomen ſit) tum vero Tincturam ejus inter Entia, quod ajunt, rationis ratiocinantis reponendam eſſe ſtatuunt. Quorum poſterius aſſertum prolixe nunc non confutabo, utpote quod ſua ſe futilitate facile confodit, & Viris in re Chemica Principibus, quorum illuſtria paſſim nomina leguntur, nunquam ſe approbare potuit. At de priori cur adeo pendeant animi, nondum potui veram atque expeditam cauſam ſubolere. Id enim opinor dabunt, omnia illa Scripta, quæ Philalethes nomine circumferuntur, unum Autorem agnoſcere, quod ſcribendi genus plane idem, eademque tractandi ratio, ac principia demum eadem de facili convincunt. Sunt igitur inter ipſos Anglos, qui ex Schedis

Autoris hujus manu exaratis ſe collegiſſe tradunt, ad Gallos eum potius, ſi originem ſpectes, quam Britannos referendum eſſe, id quod ideo factum autumant, ut eo lateret ſecurius in Galliis, cum certum ſit, neſcio quo fato, peſſime haberi in illis terris Alchemiæ ſectatores, ac tantum non graviter in eos animadverti. Vidi tamen ipſe & audivi multos haud infimi ſubſellii in Anglia homines, qui ſibi ſuæque Patriæ vindicare atque aſſerere Æyrenæum nitebantur, utpote Anglis parentibus genitum, ſed Gallicæ linguæ peritia magis inſtructum, utpote qua potiſſima ſcripta ſua compoſuerit, nam quæ Langius & Birrius Romana dictione elaborata, ſub illo nomine vulgavere, pro converſionibus omnino habenda ſunt. Cæterum quis

primus in Anglicum ſermonem libellos ejus traduxerit, ſcitu magis curioſum quam certum promptumque eſt dicere. Nam de *Introitu* hoc *ad Occluſum Regis Palatium* aliter ſtatuendum eſt, quippe quem ipſe experientiſſimus Auctor ſecunda cura limavit, novisque obſervationibus auctiorem dedit. Comperi igitur ab exploratæ fidei Viris, ubi in Anglia commorarer, Philalethen noſtrum (ſive genuinum illud ſive adſcitum nomen ſit,) cum Anglis bene multis commercium literarium habuiſſe, quod utrum vel ipſe vel per alios fecerit, ſcire nil attinet. Id jam in ſententiæ præſidium volupe eſt dicere, Illuſtriſſimum Boylæum literas cum eo ſociaſſe, ac non uno nomine amicitiam coluiſſe: Erat aliquando, ut Togatus iſte Heros à

diſci-

diſcipulo cujusdam Adepti, poſtea apud Gallos in vincula conjecti, forte inviſeretur, hic ubi inſpectante Boylæo, Plumbum in Aurum convertiſſet, rogatus deinceps, utrum Philalethen noſſet, affirmavit, in Galliis nunc ipſum deliteſcere, quo nuncio accepto reſponſorias litteras huic homini tradidit, ut occaſione data ad Philalethen transferret, ſed in ipſo itinere occupatus, lapſu equi diſpoſiti, quo vehebatur, in terram gravi vulnere projectus ſupremum diem obiit, ac ſpem adeo reſponſorias ad Philalethen perferendi, infelici caſu ſuffocavit. Sed alia adhuc ſunt, quæ lucem affundere perobſcuræ huic rei videntur. Conſtat enim inter omnes, qui aliqua rerum naturalium cura tanguntur, nuper Londini fatis conceſſiſſe

Pharmacopolam quendam Chimicæ Artis ſcientiſſimum, cognomento *Starkium*, Virum ſatis doctum, atque ingenioſum, quod ſcripta ejus, infra recenſenda, abunde teſtantur. De hoc igitur conſtans fama eſt, vel ipſius etiam Illuſtriſſimi Boylæi calculo comprobata, natione ipſum Americanum fuiſſe, utpote in nova Anglia editum, ubi occaſionem nactus in Philalethæ amicitiam intimiorem pervenerat, quæ tanta fuit, ut vice haud ſimplici officinam ejus Chemicam intraret Philalethes, atque non raro experimenta elegantiſſima Artis ſuæ ederet, imo & aliquot auri fruſta Starkio dono daret; ex quibus cum laute viveret, forte ut fit, interveniente invidia, ſuſpectus Philalethæ redditus, quaſi Secreta ejus nonnulla intercepiſ-

ſet, ac intempeſtive vulgaſſet, deſertus tandem ab eodem fuit. Quæ cauſa ipſum movit, ut in Europam concederet Starkius, itaque Londinum appulſus, ſtatim ſpecimina ſingularis experientiæ Chemicæ edidit, quæ aut Philalethæ accepta ferebat, aut aliis exemplis inductus, ipſe fuerat aſſecutus. Illud etiam non omittendum eſt, Starkium multa in lucem publicam emiſiſſe quæ plane ad Magiſtri ſui placita accedunt, & ad minimum ex arvis ejus derivata ſunt. Atque is non una vice aſſeruit, & vidiſſe ſe Philalethen, & ſanctiorem cum eo amicitiam coluiſſe, quanquam hoc uno infelix, quod ubi liberaliter viveret, & rem familiarem negligeret, gravem rerum ſuarum jacturam fecerit atque adeo miſere (ut ajunt) peſſum iverit. Hoc

interim certum eſt, ſi verum fateri vellent Bibliopolæ, qui Opera Philalethæ impreſſerunt, unde ipſi Libellos iſtos acceperint, aut quo idiomate conſcripta fuerint, facile componi lis illa poſſet, imprimis Guilielmus Cooper, Bibliopola Londinenſis, publice hic mihi nominandus eſt, qui multa hujus Autoris typis exſcribi curavit: ſed & *Langius* atque *Birrius* non ignorabant, unde manuſcripta illa acceperint, aut quo nomine ipſis tradita fuerint. Quanquam & hic monendum ſit, multa Eruditis dudum ſuſpecta eſſe, quæ tamen communiter Philalethæ tribuuntur, qualis forte Expoſitio in Flamellum, Artephium & Sendivogium, qua de re alibi monendi locus erit. Juvabit nunc potius

Elenchum Librorum tum à Starkio (ſive famulus demum ſive ſocius atque amicus Æyrenæi noſtri fuerit) tum ab ipſo Philaletha editorum ſubjicere, de quibus tamen dolendum eſt, multos raro ad manus noſtras pervenire, multos etiam non niſi Anglico ſermone conſcriptos eſſe. Scilicet Starkius hæc potiſſimum meditatus eſt: *Vindicationem Helmontii & Pyrotechniam Anglicano idiomate compoſitam.* Sed Philalethæ plura ad manus noſtras pervenere, quorum hic numerum inire, nec injucundum Tibi, Lector Benevole, nec grave futurum confidimus. Edita ſcilicet ſunt à Coſmopolita noſtro ſequentia ferè ingenij monumenta, quæ ad notitiam noſtram pervenere:

1. Introitus Apertus ad Occluſum Regis Palatium 8. Amſt. 1667.
- - Introitus in Muſæo Hermetico Anno 1667. edit.
2. De Metallorum Metamorphoſi Editore Mart. Birrio.
3. Brevis manuductio ad Rubinum cœleſtem Amſt. 1668. 8vo.
4. Fons Chym. veritatis. Amſt. 1668. 8vo.
- Item in Muſæo ſupra allegato.
5. Enarratio Methodica trium Gebri Medicinarum Amſt. 1668. 8vo.
6. Vade Mecum Philoſophicum ſive Breve manuductorium ad Campum Sophiæ Amſt. 1668. 8vo.
7. Experimenta de Præparatione Mercurii Sophici Amſt. 1668. 8vo.

*Angliè.*

8. Introitus Apertus ex Manuſcripto perfectiori traductus & impreſſus Londini 1669. 8vo.
9. Medulla Alchymiæ duabus partibus carminicè deſcripta. ibidem 1664. 8vo.
10. Expoſitio in Epiſtolam Georgii Riplæi, Equitis aurati, ad Eduardum Quartum Angliæ Regem; etiam Germanicè.
11. Expoſitio in Præfationem G. Riplæi ad Compoſitionem ſuæ Alchymiæ, Lond. 1678. 8vo.
12. Expoſitio in Sex Priores Portas ejusdem compoſitionis; etiam Germanicè, Lond. 1678. 8vo.

13. Ex-

13. Expoſitio in Recapitulationem Portarum ejusdem Riplæi. Lond. 1678. 8vo.

14. Expoſitio in Viſionem Riplæi, Lond. 1678. 8.

15. Experimenta de Præparatione Mercurii Sophici Lond. 1678. 8vo.

*Manuſcripta.*

1. Expoſitio in ſex Poſteriores Portas Compoſitionis Alchymiæ ejusdem Riplæi. Anglicè.

2. Expoſitio in Rotam ejusdem Riplæi. Anglicè.

3. Expoſitio in Experimenta erronea ejusdem Riplæi. Anglicè.

4. Expoſitio in Arnoldi ultimum Teſtam. Latine.

5. Enchiridion Experimentorum cum diurnali meditationum, in quo continentur multa Philoſophica, totum ſecretum declarans cum Ænigmate. Anglicè.

6. Cabala Sapientum, ſive Expoſitio Hieroglyphicorum Magorum. Anglicè.

7. Opus Elixiris Aurifici & Argentifici.

8. Brevis via ad vitam longam, ſive Alchymia triumphans.

9. Elenchus Errorum in arte Chymica deviantium.

10. Elenchus Autorum potiſſimum in Arte Chymica.

11. Analyſis Operis.

12. Clavis ad Opera ejus.

13. Expoſitio in Flamellum, Artephium & Sendivogium: utrum vero Philaletha hanc ſcripſerit, alii dubitant.

I.N.I.

I. N. I.

# *LECTORI BENEVOLO*

S. P. D.

# GEORGIUS WOLFFGANGUS WEDELIUS.

QVod Divinus Senex *inter alia aphoriſmis ſuis præmiſit:* ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, experimentum vero difficile, *inprimis & quam maxime quadrat Divinæ Arti, Alchimiæ, adeo ut velut duæ cohortes hominum, hujus intuitu, conſtituendæ veniant: Abhorrentium & Dolentium.*

*Plurima Pars abhorret, quoniam aliorum ipſos veſtigia terrent, & Ars oſores obtinuit ignorantes & incredulos hinc, imo impugnantes. Vnus inſtar omnium ſit* Thomas Eraſtus, *ſuperiori ſeculo perinclytus in alma* Heidelbergenſi *Doctor, qui integro operoſo volumine refutanda ſibi ſumpſit Paracelſica dogmata, ſed citra experimentum fere ullum, ſolis ſpeculationibus & præconceptis hypotheſibus innixus. Inanes enim vel unica experientia demonſtraverit, cum ex rebus & natura philoſophandum ſit ſi ullibi, ſane in hac Scientia, & ante Paracelſum dudum Chimia inclaruerit.*

Quod

*Quòd ſi Cauſas inveſtigemus hujus averſationis, odii, calumniarum, tres potiſſimum laudari poſſunt: Obſcuritas Scriptorum, Fraudulentia Ardelionum, Chimicos ſe affirmantium, & Paupertas Experimentatorum. Verum eſt, non niſi Gryphos, Ænigmata & Suaves quaſi Fabulas legi, ſi imparatus acceſſeris, ut videatur hic labyrinthus quidam, è quo evadere ſemel ingreſſo vix liceat; quo plures enim evolvas, eo abieris incertior, & omnes tamen amice in potioribus conveniunt.*

*Fraudulentia nullibi magis occurrit, quam circa Labores hoſce. Cum enim, qui facile credit, facile decipiatur, & quod quis deperit, de eo ſpem ſibi indubiam faciat, occaſionem præbuit hoc deceptoribus non paucis, ut Artem ſe callere profiteantur, & ineſcent Divites, Magnates, & à quibus lucrum venari ſperant alios. Fieri poteſt, ut decipiant ſe ipſos primum, nec omnes malitioſi ſint dolorum fabri, ut putent, eſſe ſe Adeptos, imaginentur ſibi montes aureos, carentes ſumptibus, res tamen tandem non raro ad reſtim venit, ut & hinc Chimiſta habeatur communiter pro deceptore.*

*Paupertas denique & ſumptuum ſummorum diſpendium manet indagatores plurimos, qui prædæ inhiantes, vel ſibi credentes, vel aliis, nullis parcunt impenſis, conducunt Laborantes,*

*Cinifiones, omnis generis homines, conſtruunt furnos, comparant magnam farraginem Mineralium, & ,ut lapide potiantur, omnem movent lapidem, die nocteque, donec damno ſuo reportent vacuam crumenam,perditas deplorent opes, & tandem, qui ex plebejis ſunt, vilibus ſe addicant artibus, vix à ſuavi illa perſuaſione liberandi. Adeo enim firmiter ideas aurificas cerebro impreſſas gerunt,ut ſæpe ne hac quidem ſpongia, vel lixivio,deleri & abſtergi queant. Citius Delirum Melancholicum, Furentem Maniacum, vel alium Phreneticum, quam excerebratos hos decoctores, in viam redigas.*

*Neque tamen Alchimia coli deſiit, vel rejici, damnari & proſcribi merita eſt. Abuſus non tollit uſum, alias enim & Aſtrologiæ, & Philoſophiæ,imo quoque reliquis ſummis ſcientiæ divinæ & humanæ apicibus ſuus honos eſſet derogandus. Sobrie philoſophandum eſt & in hoc Studio, Antiquiſſimo, Nobiliſſimo & Utiliſſimo.*

*Fruſtra ſunt, qui Antiquitatem negare contendunt, quam* Reineſius *&* Borrichius *cumprimis evicere ſatis.Et hic præter alias ſummas dotes, quas & ſibi & aliis fœneratus eſt, Codicem MSS. Græcorum Chimicorum veterum obtinuerat à* Morhofio, *hic vero ex Bibliotheca Aulica Gothana Divi* FRIDERICI, *Saxoniæ Ducis Sapientiſſimi, Domini Noſtri Clementiſſimi, cum*

Præ-

*Præfatione doctiſſima, vernacula lingua ſcripta,* Reineſii, *imo & ejusdem ubivis limata emendatione, cujus occaſione potiſſimum, ut videtur, ſcripſit* Conſpectum Scriptorum Chemicorum Illuſtriorum. *Recenſet ibi & hos Græcos Autores, & reliquos, Introductionem Generalem per Autorum cognitionem inſinuans, & monita egregia. Teſtor ipſum, qui* pag. 9. §. 13. *Reineſium citat, quem legiſſe oportuit, &, qui ſuperſunt in Aula laudatiſſima, conſcios mecum hujus hiſtoriæ.*

*Neque vero hi omnes ſunt Scriptores, quin Bibliotheca integra* Borellus *illos enumerare aggreſſus eſt, qui ne ipſe quidem omnes novit, vel vidit. Nos, cum ſummatim rem delibemus ſolum hac vice, mittimus hæc, & Nobilitatem verbo tangimus. Ducit enim ad Arcana Naturæ, & ad Majeſtatis divinæ admirationem, & ſapientiam genuinam. Abſit vero ut probemus, quæ & hic detorquent Chimici, & abrepti ſuis phantaſmatis vel allegorias è Sacris ſuas faciunt, ( à quo nec Philaletha noſter abſtinuit penitus, ) vel ad ipſa Divinitatis Myſteria applicant principia materiæ, Sal, Sulphur & Mercurium, ubi nil materiale locum habet, vel concipi debet.*

*Sed quid de Utilitate dicemus? Veri Chimici & Sciëntia Artis contenti ſunt, & non uno nomi-*

*nomine uſum in humanum genus derivant, ſanandi & juvandi hac Arte gloriæ divinæ veliſicantes, quin deteſtantur avaritiam, luxuriem & abuſum omnem.*

*Nec noſtro hinc Seculo defuere, qui ſtudio huic ſeſe dedere, in ſilentio & ſpe devote orando, ſobrie ſcrutando, & citra ſumptus illos majores circumſpecte laborando, ſecuti Veterum Viam* Regiam, *præciſis ambagibus, citra pompam fornacum, vel ampullarum vana molimina.* Non *cedit hoc ullis elapſis, ſeu experimenta ſpectes luculenta præſtita, ſeu editos* Libros, *& utrinque Arti partam acceſſionem ſplendidiſſimam.*

*Nota eſt ab Alexandro Setonio, Anglo, anno* M DC III. *Baſileæ facta* Projectio, *qua coram Joh. VVolffg. Dienhemio & Jacobo Zvvingero Plumbum in Aurum optimum convertit; quod oculatus teſtis* Dienhemius *latius deſcribit* Medicin. Univerſ. c. 24. p. 64. ſeqq. *& portionem illius adhucdum aſſervare ſe à Proavo illo ſuo affirmat* Theodorus Zwingerus Scrutinio Magnetis *Curioſiſſimo* c. 3. p. 20.

*Aurum ſe vidiſſe refert* Joh. Bapt. Morinus Aſtrol. Gallic. Præfat. p. 1. *ex Plumbo per projectionem confectum, longe melius naturali, quod etiam in examine, magno examinatoris ſtupore, non exiguam Plumbi partem convertit in Aurum, ob exceſſum Tincturæ ſuſceptæ à projecto pulvere.*

*Quid*

*Quid Pragæ præſtitum ſit coram Divo Imperatore Ferdin. III. qui manu propria Mercurii libras tres in libras duas cum dimidia Auri puri tinxit, beneficio Unius grani Tincturæ Philoſophorum, apud* Zwelferum Mantiſſ. Spagyr. part. 1. c. 1. p. m. 796. *legi meretur, qui ipſe Dn. de Chaos (Autor Tincturæ) idem Moguntiæ M DC LVIII. coram Electore Moguntino Johanne Philippo præſtitit, cujus fruſtulum Nos Ipſi poſſidemus, à B.* Johanne Daniele Horſtio, *Archiatro ſummo, ad paternarum virtutum & gloriæ hæredem* Johannem Ottonem Horſtium *deductum.*

*Tranſmutationem Hagæ Comitis factam domi ſuæ* I. F. Helvetius *in* Vitulo Aureo *deſcribit ipſe abunde, apud quem veſtigia reliqua olim vidimus. Tacemus alia exempla hinc inde deſcripta, vel nota quoque.*

*Quod ſcripta publica attinet, illa laudari merentur, quæ à veris poſſeſſoribus profecta ſunt, non conſarcinata ex aliis, vel inani conceptu efficta. Duo ſaltim, à noſtro laudata, attingemus,* Sendivogii Novum Lumen Chimicum, & Eſpagneti Arcanum Philoſophiæ Hermeticæ Opus; *hos enim imitandos ſibi ſumſit, imo explicuit uberius, & ulterius progreſſus eſt.*

*Non inquiremus jam, Utrum Sendivogius ille idem ſit cum dicto Alexandro Setonio, an ejus*

*in matrimonio ſucceſſor, ſufficiat, apud illum vidiſſe Lapidem Philoſophorum* Oſwaldum Crollium, *quod teſtatur in* Baſilicæ Chimicæ præfatione, *quam ſcripſit anno* 1608. *& tunc temporis jam mortuum memorat; cum Dienhemius anno* 1610. *Setonium adhuc vixiſſe aſſerat.*

*Sit Sendivogius ingenuus, perſpicuus Eſpagnetus, expertus Philaletha noſter ſi non anteferendus, ſaltim Tertius aſſociari dignus, ad Completam Trigam Optimorum Scriptorum. Exceptus eſt publico applauſu hic Introitus, & inde cœptum non ſolum laborari ad hujus modulum, ſed & ſublimius excoli & ſtabiliri ſubjectum, quod innuere putatus eſt communiter.*

*Ne quid diffiteamur, ab eo tempore Antimonium magis arriſit Philochimicis, ejusque Regulus, inprimis Martialis, idque eo effectu, ut* Becherus *ſingulari ſtudio, non uno loco,* Eremita Suburbanus, in Aphoriſmis Chemicis, *& plures alii ſtuduerint in ſolium evehere Arcani Sophici, imo pro rato id unice habere; ut paradoxum fere hodie haberi poſſit, ſi quis id negare auſit. Hinc & velut clavem mutuari licet, ſi quis hanc viam ſequi velit, ex duobus Autoribus aliis, nominatim* Alexandro à Suchten, *(fallor, an Alexander Setonius ille ſe ab hoc dici voluit, quibus hoc nomen profeſſus eſt?)* Tract. de Antimonio, p. m. 299. *&* Zwelffero l. c.

Man-

Mantiſſ. Spagir. p. 2. c. 7. p. 828. *quæ latius proſequi Noſtri Scopi non eſt, cum Præfationem, non Commentarium ſcribere animum induxerimus.*

*Linquamus illis hos labores & probabiles viſas rationes, non poſſumus tamen, quin dubia ſaltim quædam moveamus. Sane ex ipſius* Suchtenii *lectiqne ſubolfacere licet, aliam ipſimet mentem fuiſſe; & qui* Pantaleonis *tractatus legit, Optimi & Aſſeclæ, & tanquam Commentatoris Philalethæ, non invitus idem confitebitur. Supponendum vero eſt, ſcribere Philoſophos hos per Ignem ſuo more, nec ad literam intelligi velle. Imo dum Lectorem informant ſollicite in propoſito ſuo, non deſinunt eſſe candidi & alia inſinuando, callide occultantes quod intendunt.*

*Teſtis ſit ipſe Pantaleon, qui, ſi legatur penitius, clariſſimo exemplo, eoque culinari, inculcat aliud quam Antimonium, imo Mineralia & Metalla rejicit exceptis duobus, Igneo & Aqueo. Quin ſi attentius penſitentur verba Philalethæ, & noris veterum Hieroglyphica; facile patere poteſt contrarium, ſi v. g. noverimus, quid ſit Saturni ſoboles, & quare Alexander Magnus, aliique plures Reges è Græcis, Cornibus Arietinis voluerint etiam in Nummis videri conſpicui, ne de aliis dicamus.*

*His ſi jungantur Scriptores alii, dum quod*

*Unus tacet, Alter clarius nominat, alter ex altero explicandus, caveri poſſunt errores, in quos tyrones facillime labuntur, imo Veterani Artis Magiſtri. Ita Columbas Dianæ videtur deſumpſiſſe ex* Eſpagneto, *qui optime, quid ſint, edocet attentum, quamvis ab aliis, ipſoque* Borrichio, *citra has propiorem aliam dari viam ſcribatur.*

*Nos obiter ſaltim hæc tangere voluimus, ne plane ſine monito aliquo invitemus Lectorem.* Nec *illud omittendum, ad curationem morborum quidem cum Antimonio ad illum modulum parata medicamenta fuiſſe ſatis eximia, ſed ad Tincturam non viſum quid eſſe perfectum hoc pacto* ἄξιον λόγȣ *in hunc uſque diem. Unde videntur veram viam æquivoco tali exemplo oſtendere voluiſſe, quod & de* Baſilio Valentino *& aliis dictum eſto.*

*Ex numero illorum, qui incaſſum hoc pacto laborarunt, non poſſumus, quin laudemus* Georgium Hornium, *Virum alioqui Clariſſimum, & his ſtudiis innutritum, qui* Præfatione in Gebri Arabis Chimiam *ita de noſtro: Prodiit nuper,* inquit, *Anonymi Introitus Apertus ad Occluſum Regis Palatium, ante multos annos ex Anglia MSS. ad me transmiſſum, Opus plane Sophiſticum & Commentitium, quod experientia multis, qui exacte probarunt, cum*

da-

*damno ſumptuum & temporis, cognitum fuit.*

*Placuit vero non Una de Cauſa ſuadere, ex vaſta copia Scriptorum hujusmodi, novam editionem exigui hujus, ſed Aurei Tractatus. Non parum enim refert, quem & in hoc Genere eligas Magiſtrum, vel Autorem. Imo optandum foret, ut Medici, & præſertim in Academiis, etiam hanc ſibi ſumant operam, vel alii etiam Eruditi, ac vel ſubſecivas horas quasdam deſtinent lectioni Chimicorum horum Autorum, ſaltim, ne inauditi condemnentur, quod durum eſt admodum.*

*Decet idem Studium Theologos, ICtos, Hiſtoricos, Literatos quoſvis. Quilibet inde habebit quod judicet, & miretur, quod delectet & proſit. Nec obſtat Autorem Nomen ſuum diſſimulaſſe, qui ex Anglia tamen vulgo habetur oriundus, (quæ cultiſſima natio jam ante aliquot ſecula Chimicos Adeptos habuit, & hodienum poſſidet ſine dubio,) & THOMAS DE VAGAN appellatus.*

*Noluit nempe ſaltim vivus innoteſcere, ne moleſtia ipſi crearetur, nec potuit tamen adeo latere, quin notus redderetur Curioſis. Neque tamen plura referre poſſumus, niſi quod alia quoque ejus Scripta celebrantur, de quibus, ut plura quoque de Autore noſtro ſcitu digna, imo*

 de

*de Univerſa Arte legi poſſunt apud* Morhofium l. de Metallorum Transmutatione *elegantiſſimo*, p. 143. ſeqq. *cujus ſincerum eſt epiphonema: hoc nemo, ut apparet, candidius & majori perſpicuitate in hoc argumento verſatus eſt. Et hic ipſe vero Introitus ſufficere poteſt inpræſentiarum, reliqua ceu fluvii æſtimanda, exinde diffuſi amplius, nec negligenda quoque.*

*Cæterum ordinem quidem ſervat Autor tractandi, quem ſibi propoſuerat; attamen & ſignate & exercite, liceat ita loqui, proſequitur telam, ut ſi ſeparatim locentur aſſerta, & ceu in formam proceſſus redigantur, eandem* ἐγχείρησιν *pluribus deſcribat capitibus.* Hoc *ſi noverimus, evidentior fieri poteſt conceptus, & elici veritas, ſecus ac ſi diffuſſiore mole hinc inde floſculi forent excerpendi; ita tamen ſe gerit, ut in progreſſu clarius explicet, quæ in prioribus fuerunt memorata ſtrictius.*

*Paulo timidiorem ſe oſtendit quoque in propalando theſauro, metuens vitæ ſuæ, idque non ſine cauſa. Quamvis enim hoc in Populoſis Urbibus credi poſſet minus neceſſarium; nusquam tamen tutam fidem, & à* Northono Anglo *memoratum de Thomæ Davvltoni periculis,* Tract. Chim. c. 2. *exemplum, & alia edocent, nota ſatis & hinc inde tacta. Contemptu tutos*

*ſe ma-*

*ſe magis æſtimant poſſeſſores, ut ipſa quoque Ars hoc ipſo magis occulitur.*

*Quæ tandem videri poſſent in his vel illis vocibus mutanda, maluimus ſibi relinquere plëraq; in ejusmodi Scriptis* magis res penſitandas, quam voces certi, vel ſtylum. *Secuti ſumus Exemplar curante* Johanne Langio *Amſtelodami* 1667. *editum, cujus & Præfationem ſubjungimus, Idem vero & in* Muſeo Hermetico Amplificato Tit. XVI. *expreſſum legitur. Vale Lector, & Philaletham inſtar Omnium habe, & Introitum hunc Alchimiæ Univerſæ Compendium, ubi pauca Exoterica, Acroamatica multa offendes. Dab. è muſeo Jenæ MDC XCVIII. D. XXI. Septembr.*

# PRÆFATIO EDITORIS PRIMI, JOANNIS LANGII, AD *LECTOREM.*

CUm non ita pridem, quod publico hic dedo, Opuſculum ab Excellentiſſimo quodam harumque rerum ſcientiſſimo Viro nanciſcerer, *Benevole Lector*, confeſtim adeo perplacuit, ut in arena quaſi & ſtante pede de ipſo Tuis commodis impertiendo conſilium ceperim. Impellebat me, cum quod Author genuinus Tincturæ Phyſicæ elaborator & Poſſeſſor noſtri, in quo vivimus, Seculi fere unicus videretur, Scriptumque ſuum eam in gratiam compoſuerit, ut iſthoc edito Adeptus ſciretur, palanteſque in Arte ad orbitam reducerentur; tum candor & σαφήνεια ipſius Scripti, quidamque quaſi continuatus Tenor Sendivogii, quem Author preſſo ubique pede conſequitur, non raro etiam præcellit, ſemper certe & egregie, etiam absque inſtituto, explicat. Confidebam igitur, quod divulgato hoc & Autoris laudatiſſi-

mæ

mæ intentioni ſatisfieri, & quam plurimis, qui hodieque aut ærumnabili labore, aut præſumtuoſa ſcientia, aut ſuſpiriis improbis magno Philoſophorum Lapidi, licet eheu! decollantibus identidem ſpebus, inſidiantur, in illuni errorum nocte lumen accendi poſſet. Utut enim paucis abhinc annis aliquammulti titulum veræ Philoſophiæ operoſe ambierint Orbemque terrarum ſub ementiti nominis larva Libellis phantaſticis docere, dementare verius dicam, præſumſerint, nonnullorum etiam, eorumque haut obſuri commatis Virorum ignorantiam, non absque doctiorum riſu, in ſcenam prolicuerint; ſtatim tamen ſubactioribus ingeniis, & qui, ut ille ait, cum morſuis Philoſophis familiarius converſati erant, fraudes illorum hamatæque technæ ſubolueruint, adeo ut hordeatici iſti promiſſores tanto ampullantes hiatu paulo poſt admiratoribus ſuis, ut leonis exuvio aſinus, deſtituti, ſibique relicti, hactenus inter falſarios blacennomion perſolverint. At Iſte, quem communi jam emolumento dedicatum imus, ut ingenuorum Philoſophorum ſtylum & filum ubique ſervat, ut linearem primordialemque Chymiam undique ſpirat, & ſuis ſe ſignis abunde prodit; ſic ſpero eventurum, ut hoc veluti jubare exorto, aliorum interpoles falſi-

moniæ, inſtar nebulæ fumique tandem penitus diſſipentur. Equidem quis qualisve tam muſtulentæ Opellæ Autor extiterit, juxta cum ignariſſimis ſcio, nec quia nomen Ipſe ſuum occultatum voluit, illius ingratiis adeo inquirendum cenſuerim. Claret tamen ſatis dilectum Deo, inſtar Danielis cujusdam, verumque deſideriorum Virum eſſe, ( ſiquidem ſuperet adhuc vitalique veſcatur Aura ) & qui in ea ætate Philoſophorum Arcana Medica, Chemica, Phyſica conſecutus ſit, qua multis aliis apicem de iſtis & per tranſennam vix noviſſe datur. Certe qui ſuppar huic ex Libris hanc Artem hac ætatula eruerit, rariſſimus invenietur. Thomas Nortonus Anglus vigeſimo octavo ætatis anno Tincturam albam cognoviſſe profitetur; quomodo circa eundem annum Theophraſtus Paracelſus Lapidem Chryſopœum acceperit, Helmontius memorat; ſic Dionyſius Zacharias, & fors qui alii pauci, juvenes potiti feruntur: ſed hi à Præceptoribus, aliena Minerva; quod equidem mirandum adeo non eſt, cum capax ſaltem ingenium in illis laudandum veniat. At vigeſimo tertio ( trigeſimo tertio ) ætatis anno, absque Præceptore, proprio ductu, è ſpinoſiſſimis Scriptorum tribulis dumetisque roſas

ſas colligere, verum Philoſophorum Lapidem conficere, nulli fortean, aut, ut dictum, rariſſimis hactenus conceſſum fuit. In tale ingenium ſingulariter à DEO reconditam Scientiam apertis peroledis depluiſſe quis inficias iverit? Cum miriades, credo, numerari poſſent, qui ad grandævam usque ſenectutem in hoc ſtudio ſtadioque verſati ne prima quidem Sapientiæ hujus limina ſalutare potuerint, licet non pauci per quinquaginta, ſexaginta plus minus annos nullis non excogitabilibus laboribus inſudaverint. Quo magis veneremur τὸν πάνυ Autorem, quod tantis, tam inſolitis à DEO chariſmatis largiter obrutus, non ceu Aſpendius Citharista intus ſibi ſoli canere, ſed quod ſine invidia didicerat, ſine invidia benignus communicare voluerit. Quam apud pleroſque alios in tradendis hiſce Arcanis invidia prævaluerit, quamque ſcripta ſua livore, quaſi intergerino quodam pariete, circumſepſerint, memorare hic nil attinet; Chymicorum Indagatorum quilibet ſatis atteſtari poterit. Quin laudi ſibi duxerunt οἱ τῶν φιλοσόφων παῖδες ludere ita poſteros, & ſub invidia Chimæricisque glaucomatis quaſi triumpharunt. Sic, ut in Euſebianis Græcis Scaligeri habetur, Democritus Abderites συνέ-

γράψε περὶ χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, καὶ λίθων, καὶ πορφύρας λοξῶς. Ὁμοίως δὲ καὶ Μαρία (τὶς Ἑβραία σοφή;) ἐπῃνέθησαν παρ' Ὀστάνου, ὡς πολλοῖς καὶ σοφοῖς αἰνίγμασι κρύψαντες τὴν τέχνην. Παμμένης δὲ κατέγνωσεν ἀφθόνως γράψαντας. Aſt meliori ludo edoctus noſter Artem Chemicam ab omnibus erroribus vulgaribus ſequeſtravit, eliſisque ſophiſmatibus & putatorum curioſis ſomniis exploſis adeo candide, clare & perſpicue ſua deſcribit, ut clarius tam multa apud neminem, vel ipſa aiente Alethea, reperias. Imo, ſi, quæ Maria Rante Angla de Aurifactura ἀποκαλυπτικῶς promiſit, illam Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo vulgarem futuram fore, vel tandem eventus etiam expirato poſt luſtro rata habere velit, quin anſam exin capere poſſit, nullus dubitarim. Sendivogii veſtigia legit, ſed & ordine meliori, & diſtinctionibus longe accuratioribus. Eſto, circa ſubjectum Philoſophorum verum Sendivogio obſcurius docuerit; ( obſcurius voco, tyronum intuitu, qui ex Sendivogio facilius forſan hauriant; ) certe tamen curatius & absque præconceptæ opinionis criterio intuenti non poterit non exoriri Sol ipſo Sendivogiano lucidior. In cæteris autem non auſit ſe anteferre vel Sendivogius, vel

quicunq; alius, ſive veterum ſive ſequiorum ſeculorum! O quam ſejuncta Merrhæ & Siloam fluenta! quanta diſparitas inter hæc & alia Scripta, quæ hactenus cæcultanti Mundo ad præcipitia præſtruxerunt vias! Utinam vero libuiſſet optimo Autori elimatiſſima ſua ſcripta (nam & de liquore Aquæ-Ignis ſive Alcaheſt Dialogum confeciſſe inaudio) ipſummet publicis typis commiſiſſe, nullus dubitarem, correctius haberemus cuncta, & abſolutius. Nunc utut ſcrupuloſiſſime attenderim, tamen, quia manuſcripto non usquequaque correctiſſimo (ut communiter fieri aſſolet) uti contigit, aſſeverare non auſim, omnia ad Autoris verba rigidiſſime quadrare: Sæpiuſcule enim, quod ſenſus aperte hiaret, unius alteriusve literulæ immutatione ſuccurrendum fuit. Studioſe nihilominus cavimus, ut ubiubi conſtans aliquis ſenſus erui poſſet, nil temere ſolicitaremus. Vovemus, &, ſiquidem vivat adhuc divinus Autor, precamur, & obteſtamur, velit Scripta ſua vel ipſemet correcta & ad mentem exaſciata prælo committere, vel ſi nobis mediaſtinis uti non dedignetur, efficere, ut quovis modo Manuſcriptum genuinum ad manus noſtras perveniat, & noſtra nos correxiſſe vel gloriæ nobis reputabimus, præ bono publico

nil uſquam unquam magis penſi habentes. Tu, *Benevole Lector*, hæc in optimam partem interpretabere, perpendens quod ſi diutius hæc, ceu Secreta ἐγκύκλικα & πατροπαράδοτα, ſub clandeſtinis deſcriptionum communicationibus obambulare debuiſſent, forſan brevi vel plures mendæ lacunæque enormiores irrepſiſſent, vel ipſus verus Scripti ſenſus ſenſim obliteratus fuiſſet, quod quam multis optimæ notæ tractatibus evenerit, non eſt, ut hic prolixius deducam. Plura hic addere nolo, neque enim Commentarium ſcribere aggredior. Hæc ſaltem ſubmonuiſſe viſa, vel mei gratia, ne aut Ipſe me Autor, qualia quondam ὀρθὸς ἥλιος in Sendivogium præſumſit, in ſuum quoque Scriptum tentaſſe credat, aut aliqui alii forſan ſequius de me, ut ſciolorum nunc plena omnia, cenſeant. Utut ſit, rei Chymicæ in hoc obſecundare multorûmque deſideriis velificare volui. Si gratum hoc fuiſſe videro, fors plura ſequentur; ſin, ſed omen deſpuo. Salve, *Benevole Lector*, & Vale. Hamburgi, Idibus Decembr. Anno cIↃ IↃc LXVI.

SYL-

# SYLLABUS CAPITUM,

*quæ in hoc Tractatu continentur.*

PRÆFATIO PHILALETHÆ *pag.* 1.

## CAPUT. I.

DE *Mercurii ſophici Neceſſitate ad opus Elixir.* 3

II. *De componentibus principiis Mercurii Sophici.* 6

III. *De Chalybe Sophorum.* 10

IV. *De Magnete Sophorum.* 11

V. *De Chao Sophorum.* 13

VI. *De Aëre Sophorum.* 14

VII. *De operatione prima, Mercurii Sophici præparatione per Aquilas volantes.* 17

VIII. *De præparationis primæ Labore ac tædio.* 21

IX. *De Virtute Noſtri Mercurii ſuper omnia metalla.* 23

X. *De Sulphure, quod eſt in Mercurio Sophico.* 25

XI. *De Inventione Perfecti Magiſterii* 27

XII. *De Modo faciendi perfectum Magiſterium in genere.* 34

XIII. *De Sulphuris maturi Uſu in Opere Elixiris.* 35

XIV. *De Requiſitis in genere ad hoc opus circumſtantiis, Accidentibus.* 50

XV. *De Accidentali Purgatione Mercurii & Auri.* 51

XVI.

XVI. *De Amalgamate, Mercurii & Auri, & de Pondere utriusque debito.* 53
XVII. *De Vaſis, Proportione, Forma, Materia & Clauſura.* 56
XVIII. *De Furno ſive Athanore Sophico* 59
XIX. *De Operis Progreſſu per primos dies quadraginta* 64
XX. *De Adventu Nigredinis in Opere Solis & Lunæ* 72
XXI. *De Florum Combuſtione ejusque cautione* 76
XXII. *De Regimine Saturni, quid & unde dicatur.* 79
XXIII. *De Diverſis operis hujus Regiminibus* 80
XXIV. *De Primo Operis Regimine, quod eſt Mercurii.* 81
XXV. *De Secundo Operis Regimine, quod eſt Saturni* 87
XXVI. *De Regimine Jovis* 88
XXVII. *De Regimine Lunæ.* 89
XXVIII. *De Regimine Veneris.* 91
XXIX. *De Regimine Martis.* 93
XXX. *De Regimine Solis.* 94
XXXI. *De Fermentatione Lapidis.* 96
XXXII. *De Imbibitione Lapidis.* 98
XXXIII. *De Lapidis Multiplicatione.* 100
XXXIV. *De Modo Projiciendi.* 101
XXXV. *De Multiplici Uſu hujus Artis.* 102

# INTROITUS APERTUS
## *AD*
# OCCLUSUM REGIS PALATIUM.

## PRÆFATIO AUTHORIS.

ADepto me, Anonymo Philaletha Philoſopho, arcana medica, chemica, phyſica, Anno mundi redempti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, ætatis autem meæ trigeſimo ertio, quo filiis artis debitum perſolvam, nvolutisq; erroris labyrintho manum porrigeem, tractatulum hunc conſcribere decrevi, ut Adeptis appareat, me illis parem & fratrem, educti vero ſophiſtarum nugis lucem, per quam uto revertantur, videant & amplectantur. Ominor porro non paucos hiſce meis laboribus lluminatos fore. Non ſunt fabulæ, ſed realia xperimenta, quæ vidi, feci, novi, quod ex hiſce ineis facile colliget Adeptus. Quare ut ad boium proximi hæc ſcribo, ſat ſit me profeſſum ſſe, neminem in hac arte ſcribentem unquam

 tam

*tam lucide ſcripſiſſe, meq; inter ſcribendum pluries calamum repoſuiſſe, quod potius vellem ſub invidiæ larva veritatem celaſſe; at cogebat* DEUS, *cui non potui reſiſtere, qui ſolus corda novit, cui ſoli gloria in ſeculum.* Hinc *indubie colligo, multos futuros hac ultima ætate mundi hoc arcano beatos. Quia fideliter ſcripſi, nec Studioſo tyroni ullum reliqui dubium, non perfecte ſatisfactum.* Etiam *ſcio multos, qui una mecum hoc arcano potiuntur, multoq; plures eſſe ſum perſuaſus, quorum familiaritatem quotidie de novo, ut ita dicam, ſum brevi conſecutus. Faxit ſancta* DEI *voluntas, quod ſibi placuerit, indignum me fateor, per quem talia efficiantur: tamen hiſce in rebus ſanctam* DEI *voluntatem adoro, cui ſubeſſe tenentur creata univerſa, ob quam ſolum illa condidit, conditaq; tuetur.*

CAPUT

# CAPUT I.

## *De Mercurii Sophici Neceſſitate ad Opus Elixir.*

QUisquis aureo hoc vellere potiri cupit, ſciat Aurificum noſtrum Pulverem, quem lapidem noſtrum nominamus, eſſe Aurum ſolummodo digeſtum in ſupremum gradum puritatis & ſubtilis fixitatis, ad quem per naturam ſagaxque artificium poteſt deduci; quod Aurum ſic eſſentificatum, Aurum Noſtrum,(non amplius vulgi) nominatum eſt naturæ artiſque perfectionis periodus. Poſſem omnes citare hac de re Philoſophos; at teſtibus non egeo, quia ipſemet Adeptus, & lucidius ſcribo, quam antehac ullus. Credat qui volet, improbet, qui poterit, carpat, cui libet. Hanc certe mercedem reportabit, altam ignorantiam. Subtilia, fateor, ingenia chimæras ſomniant: at in via naturæ ſimplici veritatem ſedulus reperiet. Aurum igitur aurificandi verum, unum, ſolum principium eſto. Eſt autem Aurum noſtrum duplex, quod ad opus noſtrum expetimus, maturum puta, fixum, Latonem flavum, cujus cor ſive centrum eſt ignis purus. Quare corpus ſuum in igne

defendit, in quo depurationem recipit, ut nihil ejus tyrannidi cedat, aut ab eo patiatur. Hoc in opere noſtro vices Maris gerit, quare auro noſtro albo crudiori, ſpermati fœmineo, conjungitur, in quo ſperma ſuum emittit, tandemque vinculo indiſſolubili utrumque coit, ſic fit noſter Hermaphroditus utroque ſexu pollens. Mortuum eſt itaque aurum corporale, priusquam cum ſua ſponſa conjungatur, cum qua ſulphur coagulans, quod in Auro eſt extraverſum, invertitur. Sic abſconditur altitudo, & manifeſtatur profunditas. Sic fixum ad tempus fit volatile, ut nobiliorem poſtea ſtatum hæreditario poſſideat, in quo fixitatem præpollentem obtinet. Patet itaque, quod totum ſecretum in Mercurio conſiſtat, de quo Philoſophus: In Mercurio eſt, *inquit*, quicquid quærunt Sapientes. De hoc Geber: Laudetur, *inquit*, Altiſſimus, qui Mercurium Noſtrum creavit, eique dedit naturam cuncta ſuperantem. Certe enim, niſi hic eſſet, glorientur Alchymiſtæ, utut volunt, at vanum eſſet opus Alchymicum. Liquet proinde, quod non vulgaris ſit hic Mercurius, at Sophicus, quia omnis Mercurius vulgi eſt Mas, id eſt, corporalis, ſpecificatus & mortuus; at noſter eſt ſpiritualis, fœmina:

mina viva & vivifica. Attende ergo, quæ ſim de Mercurio dicturus, quia, ut ait Philoſophus, Mercurius noſter eſt Sal Sophorum, ſine quo, quicunque operatur, eſt ſicut Sagittarius, qui ſine chorda ſagittat, & tamen nuſpiam eſt ſuper terram reperibilis. Filius autem eſt a nobis formatus, non creando, at ex iis rebus, in quibus eſt, extrahendo, cooperante natura, modo miro, per artem ſagacem.

## *Ad Caput I.*

TRadit nobis hoc Caput definitionem Lapidis Aurifici, ſeu ipſius Eſſentiæ Auri exaltatæ, quæ cōſiſtit in Solutione debita, Corporis Auri per Mercurium, & in Coagulatione Mercurii per Solem ſeu formam fermentativam Auri: Hæc autem Operatio, duplex Aurum requirit, fixum, id eſt, in igne permanens, quod gerit vices Maſculi, unica uncia Auri 280. partem habet ſeminis ſeu fermenti in corde ſuo, reliquum operi non inſervit: Hæc autem ſeparatio non fit, niſi per Aurum crudum, id eſt Mercurium noſtrum, qui utpote vivus, mortuum reſuſcitat, & ſic manifeſtatur profunditas, id eſt, Auri eſſentia, quæ in centro abſcondito latebat, extrahitur per Mercurium, & abſconditur altitudo, quæ eſt proprietas Mercurii (qui ex ſua natura volatili, in altum ſe elevat) hæc autem natura volatilis ſe abſcondit, id eſt, per coagulationem figitur à forma agente Auri, tota igitur intentio in hoc unicum

cum incumbat, quomodo hic Mercurius ſit præparandus: Aurum enim eſt valde calidum, Mercurius vero ſumme frigidus, hæc duo non poſſunt ad invicem conjungi radicaliter, niſi per medium, quod utriusque naturam participet, omnis enim Mercurius vulgi eſt corporalis, id eſt mortuus, non habens potentiam reſuſcitandi, ergo neceſſario ipſi introducenda eſt forma calida, in qua Aurum liqueſcat, hæc Eſſentia Mercurio unienda, vocatur Sal Philoſophorum, quia per hanc Mercurius acuitur, ſicut Aqua communis per Salem, ergo non immeritò Salis nomen ſibi vendicat, hæc autem Eſſentia à Deo creata, eſt in natura metallorum abſcondita, ab Artis Scrutatoribus extrahitur magno cum labore, & ingenio, uti ex infra dicendis clarius pateſcet.

## CAPUT II.

### *De Componentibus Principiis Mercurii Sophici.*

INtentio quorundam in hac arte operantium eſt hæc, ut Mercurium diverſimode purgent: nam per ſalia adjuncta ſublimant nonnulli à variis fecibus, alii per ſe tantum vivificant, ſic repetitis operationibus Mercurium Philoſophorum factum autumant, & errant, quia non in natura operantur, quæ ſola in ſua natura emendatur. Sciant itaque,

que, Aquam noſtram componi ex multis, eſſe tamen rem unam ex diverſis Subſtantiis unius Eſſentiæ concretis factam. Eſt nempe in Aqua noſtra requiſitus primo Ignis, ſecundo liquor Saturniæ vegetabilis, tertio Mercurii Vinculum. Ignis eſt Mineralis Sulphuris, & tamen non proprie Mineralis eſt, nedum Metallicus; at medius inter Mineram & Metallum, neuter utriusque particeps, Chaos ſive Spiritus, quia Draco Noſter igneus, qui omnia vincit, tamen per odorem Saturniæ vegetabilis penetratur, cujus ſanguis cum ſucco Saturniæ concreſcit, in Corpus unum mirabile, & tamen corpus non eſt, quia totum volatile, nec ſpiritus, quia in igne Metallum liquatum refert. Eſt itaque revera Chaos, quod ad omnia Metalla ſe habet, ut Mater. Ex eo namque omnia extrahere novi, etiam Solem Lunamque absque Elixire tranſmutatore, quod qui pariter vidit, poteſt atteſtari. Vocatur hoc Chaos Arſenicum noſtrum, Aër noſter, Luna noſtra, Magnes noſter, Chalybs noſter, diverſo tamen reſpectu, quia varios ſtatus ſubit materia noſtra, priuſquam ex meretricis noſtræ Menſtruo excernatur diadema regale. Diſce igitur, qui ſint Socii Cadmi, quiq; ſit Serpens, qui illos voravit, quæ ſit Cava Quercus, ad

quam Cadmus Serpentem transfixit. Diſce, quæ ſint Dianæ Columbæ, quæ Leonem mulcendo vincunt, Leonem, inquam, Viridem, qui reuera eſt Draco Babylonienſis, veneno ſuo cuncta interimens. Tandem diſce Mercurii Caduceum, quo cum operatur mira, quæque ſint nymphæ illæ, quas incantando inficit, ſi voto tuo cupis potiri.

## *Ad Caput II.*

OMnes vulgi purgationes Mercuriorum Author rejicit, Salia enim in ſublimatione purum cum impuro elevant, & ſic nulla fit ſeparatio partis homogeneæ, ab heterogenea. Philoſophi autem ſtatuunt Mercurium in ſola ſua natura emendari, ergo per ſe eſt ſublimandus, donec ſufficienter à macula originali liberetur, quomodo verò hic Mercurius præparetur, loquitur genericè, Mercurium ſuum componi, ex diverſis ſubſtantiis, unius tamen eſſentiæ, ſicut v. g. Cuprum, Stannum, & reliqua metalla, ſecundum formam accidentalem ſunt diſtincta, ſed ſecundum materiam ſunt idem, quia omnia ſunt ex Mercurio, qui Mercurius gradibus ſui caloris intrinſeci diſtinguitur, totum igitur erit artificium extrahere à metallis illum Mercurium calidum, per Mercurium vulgi, ſeu ignem illum qui eſt in Marte & Eſſentia Saturniæ, id eſt, Antimonii, qui Saturnus Philoſophorum dicitur, poſtea accipit hic Mercurius animatus vinculum Mercurii, id eſt Lunam, quæ iſta duo extrema Mercu-

Mercurium & Aurum connectit. Quid autem illud eſt, quod omnia vincit, niſi Mars, qui cum Saturnia, ſeu Antimonio tranſit in Chaos, id eſt commixtionem, ex quo Regulo absque Elixire, ſive absque Tinctura, Aurum & Argentum poſſunt haberi, id eſt, ex Mercurio hujus Reguli ☉ vel ☽ habebitur. Vocatur hic Regulus Chaos, propter rerum adinvicem commixtionem, vocatur Luna noſtra, quia inde poteſt extrahi argentum, vocatur Magnes & Chalybs, quia Antimonium inſtar Magnetis attrahit ad ſe optimam ferri ſubſtantiam, ſed hæc ſingula conveniunt noſtro Regulo, verum non ſimul & ſemel, multæ enim ſunt præparationes quæ præcedunt, antequam ex Mercurio fiat Regis Balneum & ſecundum diverſitatẽ præparantium diverſas ſortitur denominationes. Sciendum igitur eſt, qui ſint Socii Cadmi, ſeu Socii Ignis, qui ad Mercurium calefaciendum requiruntur, hi ſunt Metalla. Serpens autem qui illa vorat, eſt Mercurius, Cava Quercus ſunt Cineres circa Vitrum, ubi in digeſtione Cadmus, id eſt Sulphur, ſeu Eſſentia Auri, Mercurium penetrat & figit. Dianæ Columbæ ſunt duæ partes Marcaſitæ, quæ mulcent Leonem Viridem, id eſt, Regulum, qui immaturus eſt, ac proinde viridis dicitur. Sciendum quoque eſt, quomodo Mercurius per Caduceum, id eſt, per Naturam Pacificam hæc omnia ad invicem componat, ita ut ex his omnibus unum fiat. Nymphæ ſunt Venus & Luna. In hoc Capite dicit in genere Materias, quæ ad totum opus Mercurii Philoſophici requirantur; nimirum Mercurium, Martem, Antimonium, Lunam, *V*enerem & reliqua Metalla,

 prouti

prouti & Marcaſitam, cum Igne Cinerum, de ſingulis mox ſigillatim agendum erit.

# CAPUT III.

## *De Chalybe Sophorum.*

SApientes Magi multa de Chalybe ſuo poſteris tradiderunt, nec leve momentum illi attribuerunt, quare inter Alchymiſtarum vulgus non leve eſt certamen, quidnam Chalybis nomine ſit intelligendum. Hujus variam interpretationem varii dederunt. Candide de hoc Autor Novi Luminis, at obſcure ſcripſit. Ego ut nil ab Artis Inquiſitoribus ex invidia celarem, ſincere deſcribam. Chalybs noſter eſt Operis Noſtri vera clavis, ſine quo ignis lampadis nulla arte poteſt accendi: eſt Auri minera, ſpiritus præ cunctis valde purus, eſt ignis infernalis, ſecretus, in ſuo genere ſumme volatilis, mundi miraculum, virtutum ſuperiorum in inferioribus ſyſtema, quare ſigno illum notabili notavit Omnipotens, cujus nativitas per Orientem in Horizonte Hemiſphærii ſui Phoſphorum annunciatur. Viderunt Sapientes in Eoo Magi, & obſtupuerunt, ſtatimq; agnoverunt Regem Sereniſſimum in mundo natum. Tu, cum ejus Aſtra conſpexeris, ſequere ad usque Cunabula, ibi vide-

videbis infantem pulchrum,ſordes ſemouendo, Regium Puellum honora, gazam aperi, Auri donum offeras,ſic tandem poſt mortem tibi carnem ſanguinemque dabit, ſummam in tribus terræ monarchiis Medicinam.

## *Ad Caput III.*

NErvus hujus Capitis eſt docere, quomodo parandus ſit Regulus, qui Clavis eſt Noſtri Operis, per hunc enim Mercurius animatur, eſt enim hoc Sulphur Martis, Auri Eſſentia calida, volatilis, quam Deus ſignavit Stella, in Oriente Philoſophico Regis, id eſt, in præparatione ſeu Ortu Reguli, quam Stellam videntes Magi, dixerunt Regium Puellum eſſe natum, Philoſophi,hanc videntes, Regulum natum dixere, qui unitus Mercurio, Mercurium animat, huic Mercurio animato Aurum additur, & digeſtioni traditur.

## CAPUT IV.

## *De Magnete Sophorum.*

QUemadmodumChalybs ad magnetem trahitur, Magnesq; ſponte ſe ad Chalybem convertit, ſic & Magnes Sophorum trahit illorum Chalybem. Quare ſicut Chalybem docui eſſe Auri Mineram, pariter & Magnes noſter eſt Chalybis noſtri vera Minera. Notifico porro, Magnetem noſtrum habere centrum occultum, Sale abundans,

qui

qui Sal eſt menſtruum in Sphæra Lunæ, qui nouit calcinare Aurum. Centrum hoc ſe conuertit appetitu archetico ad Polum, in quo virtus Chalybis eſt in gradus exaltata. In Polo eſt cor Mercurii, qui verus eſt ignis, in quo requies eſt Domini ſui, navigans per mare hoc magnum, ut ad utramq; pertingat Indiam, curſum dirigat per aſpectum Aſtri Septentrionalis, quod faciet tibi apparere Magnes noſter. Sapiens gaudebit, ſtultus tamen hæc parvipendet, nec ſapientiam diſcet, etiam licet Polum centralem extraverſum conſpexerit notatum ſigno Omnipotentis notabili. Tam duræ ſunt cervicis, quod etſi Signa viderint & Miracula, non tamen ſophiſmata ſua deponant, nec ſemitam rectam ingrediantur.

## *Ad Caput IV.*

HOc Capite Autor Antimonium per Magnetem intelligit, qui ad ſe trahit Chalybem, per cujus Salem Mercurius animatur, vocatur hic Magnes Antimonium ſeu Aries, in cujus ventre habitat Aſtrum Septentrionale, id eſt, Mars, qui in Domo Arietis, habitat, quæ duo Unita ſunt Sigillo Stellari adnotata.

CAPUT

# CAPUT V.

## *Chaos Sophorum.*

FIlius Philoſophorum audiat Sophos unanimiter concludentes, Opus hoc eſſe Creationi univerſi adſimilandum. In initio igitur creavit DEUS Cœlum & Terram, & erat Terra inanis & vacua, & ferebatur Dei Spiritus ſuper aquarum faciem, & dixit Deus, eſto lux, & lux erat. Verba hæc Artis Filio ſat erunt. Etenim Cœlum cum Terra oportet conjungi ſuper thorum amicitiæ. Sic in honore per univerſam vitam regnabit. Terra eſt corpus grave, mineralium matrix, quod in ſe illa occulte ſervet, licet arbores & animalia in lucem proferat. Cœlum eſt, in quo luminaria magna cum aſtris circumvolvuntur, ſuasque vires trans aëra ad inferiora dimittit, at in principio confuſa ſimul omnia fecere Chaos. Ecce ſancte veritatem propalavi: Chaos etenim noſtrum eſt quaſi mineralis terra, coagulationis ſuæ reſpectu, & tamen aër volatilis, intra quod eſt cœlum Philoſophorum in centro ſuo, quod centrum eſt revera aſtrale, irradians terram ad uſque ſuperficiem ſuo jubare. Et quis Magus tam prudens, qui ex hiſce colligat novum Regem

natum

natum cunctis præpollentem, fratrum ſuorum a labe originali redemptorem, quem oportet mori, & in altum tolli, ut carnem ſuam& ſanguinem in mundi vitam det? Bone Deus, quam mirifica ſunt hæc tua opera? à Te hoc factum eſt & miraculum apparet in oculis noſtris. Gratias ago tibi, Pater Domine Cœli & Terræ, quod abſconderis hæc à Sapientibus & Prudentibus, & revelaris ea parvulis.

## *Ad Caput V.*

DOcet hic Experientiſſimus Autor Regulum eſſe Terram, Cœlum vero eſſe Mercurium, in quo luminaria magna circumrotantur, quod fit in Mercurio, cui Solem & Lunam, Martem & alia Metalla, quæ Luminaria Cœli ſunt, conjungimus, quæ omnia Aër cœleſtis Mercurialis penetrat, & ex iis Naturam optimam extrahit, ut animatus deinceps appellari poſſit.

## CAPUT VI.
### *Aër Sophorum.*

EXpanſum ſive firmamentum Aër in Sacris vocatur. Aër item Chaos noſtrum nominatur, idque non citra ſecretum inſigne, quoniam ſicut aër firmamentalis eſt aquarum ſeparator, pariter & aër noſter. Eſt ergo opus noſtrum revera ſyſtema majoris mundi.

mundi. Quoniam ut Aquæ ſubtus firmamentum videntur & apparent nobis, qui ſupra terram vivimus; at ſuperiores Aquæ viſum noſtrum fugiunt, quia tam late à nobis diſtant; Pariter & in microcoſmo noſtro Aquæ ſunt minerales extracentrales, quæ apparent; at quæ intus clauduntur, viſum noſtrum fugiunt, & tamen revera extant. Hæ ſunt, de quibus Autor Novi Luminis: quæ ſunt, at non apparent, donec Artifici placeat. Quemadmodum ergo Aër diſtinguit inter aquas, ſic & äer noſter omnem aquarum extracentralium ad Aquas, quæ in centro ſunt, ingreſſum prohibet. Etenim ſi ingrederentur & miſcerentur, tum ſtatim unione indiſſolubili coaleſcerent. Dicam itaque Sulphur externum vaporoſum comburens adhærere pertinaciter Chao noſtro, cujus tyrannidi non valens reſiſtere, avolat purum ab igne, ſub ſpecie pulveris ſicci. Tu ſi aridam hanc terram aqua ſui generis rigare ſciveris, poros terræ laxabis, & externus hic fur cum operatoribus nequitiæ foras projicietur, purgabitur aqua per additamentum Sulphuris veri à ſorde leproſa, & ab humore hydropico ſuperfluo, habebiſque in poſſeſſione Comiia Trevis fontinam, cujus Aquæ ſunt proprie Dianæ Virgini dicatæ. Hic fur eſt nequam Arſeni-

arſenicali malignitate armatus, quem Juvenis alatus horret ac fugit. Et licet aqua centralis ſit hujus ſponſa, tamen amorem ſuum erga illam ardentiſſimum non audet exerere, ob latronis inſidias, cujus technæ ſunt fere inevitabiles. Eſto hic tibi Diana propitia, quæ feras domare novit, cujus Binæ Columbæ pennis ſuis aeris malignitatem temperabunt, quod per poros facile ingreditur adoleſcens, concutit ſtatim peroledos, nubemque tetricam ſuſcitat, tu undas ſuperinduces ad Lunæ usque candorem, atque ita tenebræ, quæ ſupra abyſſi faciem erant, per ſpiritum ſe in aquis moventem diſcutientur. Sic jubente Deo lux apparebit. Lucem a tenebris ſepara ſeptima vice, eritque creatio hæc ſophica Mercurii completa, eritque ſeptimus tibi dies Sabbathum quietis, a quo tempore ad anni usque revolutionem poſſis expectare generationem ſupernaturalis Solis filii, qui circa finem ſeculorum in mundum veniet, ut a labe cuncta ſuos fratres liberet.

## *Ad Caput VI.*

COmmixtio Mercurii cum Regulo Martis Antimonii vocatur Chaos, propter rerum diverſarum Confuſionem, quas Aër Mercurialis penetrat atque permeat. Duplices autem dari Aquas, ſciendum

um eſt, in hacOperatione,una Aqua eſt ipſe Mer-
urius qui apparet & videtur,altera Aqua ſeu alter
Iercurius, eſt in Regulo, qui non apparet, donec
ic Regulus aliquo modo reſuſcitetur per aërem
tentem in Mercurio, & hæ ſunt Aquæ quæ non
pparent, donec placeat Artifici; Porro ſciendum
t, Regulum Noſtrum habere Feces Arſenicales,
uæ non poſſunt ab eo ſeparari, niſi per Aquam ſui
eneris, id eſt, Mercurium qui arripit, quod eſt de
latura ſua, & reſpuit Feces Arſenicales. Cœterum
cet Mercurius ſeu aqua hæc Metallica deſponſata
Regulo, nunquam tamen poſſunt ad invicem
omponi, id eſt ingreſſum non habent ad invicem,
ropterFeces Arſenicales, quare Binæ Dianæ Co-
mbæ, temperabunt illud Malum, & per medium
arum, id eſt, per duplum Marcaſitæ, Regulus fa-
le Mercurio unietur, qui conjunctus in Amalga-
atione, omne Sulphur Arſenicale rejicit, quod
mnimode Aquis abluendum eſt, donec albeſcat
malgama, hancLucem ſeu Mercurium hunc cum
egulo amalgamatum perRetortam ab invicem ſe-
ara Septies, & habebitur Mercurius Philoſopho-
um Animatus.

# CAPUT VII.

## *De Operatione prima Mercurii Sophici præparationis per Aquilas Volantes.*

SCias Frater, quod exactaAquilarum Philoſophorum præparatio primus perfe-

 ctionis

ctionis gradus cenſetur, in quo cognoſcendo ingenium requiritur habile. Noli namque credere, quod alicui Noſtrûm caſu, vel imaginatione fortuita provenerit hæc Scientia, prout ſtupide ignarum vulgus credit, verum multum diuque ſudavimus, multas noctes inſomnes duximus, multum laboris ac ſudoris ſumus perpeſſi, ut veritatem conſequeremur. Ea propter, Tyro Studioſe, certo ſcias, quod absque ſudore, & labore nil efficias, puta in Opere primo, licet in Secundo natura ſola opus exſequatur absque ulla manuum impoſitione, ſolo Igne moderato externe adhibito. Intellige ergo, Frater, Sophorum dicta, cum ſcribunt, Aquilas ſuas ad Leonem vorandum eſſe ducendas, quarum quo parcior numerus, eo gravior lucta, tardior item victoria, præſtantiſſime autem opus perfici Septenario numero aut Noveno. Eſt, puta, Mercurius Sophicus Avis Hermetis, qui nunc Anſer vocatur, nunc Faſianus, nunc hic, nunc ille. Ubi vero loquuntur Magi de Aquilis ſuis, plurali numero loquuntur, numerumque aſſignant à tribus uſque ad decem. Non tamen ſic volunt intelligi, ac ſi totidem Aquæ pondera ad unum Terræ vellent, verum de intrinſeco pondere dicta ſua interpretari opportu-

num

num eſt, nimirum capiendam eſſe Aquam toties acuatam, quot illi numerant Aquilas; quæ Acuatio fit per Sublimationem. Eſto ergo ſingula Sublimatio Mercurii Philoſophorum Aquila una, Septimaque Sublimatio Mercurium tuum ſic exaltabit, ut Balneum Regis tui fiat convenientiſſimum. Quare ut probe nodum hunc explicatum habeas, arrige aures attentiſſime: Sumantur Draconis noſtri ignei, qui in ventre ſuo Chalybem occultat Magicum, partes quatuor, Magnetis noſtri partes novem, miſce ſimul per Vulcanum torridum, in forma Mineralis Aquæ, cui ſupernatabit ſpuma reiicienda. Teſtam repudia, Nucleumque ſelige, purga tertia vice, per Ignem ac Salem, quod facile fiet, ſi Saturnus in Speculo Martis ſuam formam aſpexerit. Fiet inde Chamæleon ſive Chaos noſtrum, in quo latent omnia arcana virtute, non actu. Hic eſt Infans Hermaphroditus, qui a primis ſuis incunabulis per Canem Coraſcenum rabidum morſu infectus eſt, unde perpetua Hydrophobia ſtulteſcit inſanitque, imo licet Aqua ſit ſibi quavis re naturali propinquior, tamen illam horret ac fugit. O fata! Sunt tamen in Sylva Dianæ Binæ Columbæ, quæ rabiem ſuam inſanam mulcent; tunc ne hydrophobiæ recidivam

patiatur, Aquis ſubmergas, in iisque pereat, quarum impatiens Nigricans Canis Rabidus ad Aquarum ſuperficiem fere ſuffocatus aſcendet, tu imbre ac verberibus illum fuga, ac procul arce, ſic tenebræ diſparebunt. Fulgente Luna in ſuo Plenilunio pennas ſuppedita, & avolabit Aquila relictis poſt ſe mortuis Dianæ Columbis, quæ niſi prima acceptione fuerint mortuæ, prodeſſe nequeunt; Itera hoc ſepties, tum tandem requiem adeptus es, niſi quod Decoctio tibi nuda incumbat, quæ eſt quies placidiſſima, ludus puerorum opusque mulierum.

## *Ad Caput VII.*

TRadit in hoc Capite geminam Mercurii Animationem, ubi Draconem igneum Martem inſignit, qui in Ventre ſuo, id eſt, in ſuo Centro habet Eſſentiam quandam igneam, quam Magnes ad ſe trahit, id eſt Antimonium, quæ duæ naturæ purgatæ vocantur Hermaphroditus, id eſt, unum ex duabus conflans Naturis, qui Regulus propter Sulphur Arſenicale, Morſus à Rabido Cane dicitur, propter quod Mercurio, ſeu Aquæ ſuæ conjungi non poteſt, niſi mediante Marcaſita, quæ duo ſimul Amalgamata nigreſcunt, Nigredo abluenda, ut poſtea per Retortam fiat Separatio, ſepties vel decies reiteranda. Mercurius, id eſt Aquila, volabit, relictis poſt ſe Dianæ Columbis, mortuis, quæ Vitam reſuſcitativam non habent, quia Mercurius, qui Vita eſt,

ab-

ab aliis ſeparatur. Si autem in prima Volatiliſatione non bene cum Mercurio commixtæ fuerint, mortuæ dicuntur, ergo in Amalgamatione diligenter elaborandum eſt, ut eis Vita ſeu Mercurius uniatur.

# CAPUT VIII.

## *De Præparationis primæ labore ac tædio.*

SOmniant quidem Chemicolæ ignari totum opus à principio ad finem meram eſſe recreationem jucunditate plenam, laborem vero extra hujus Artificii cancellos ſtatuunt; atqui ſua tuto ſententia fruantur. In Opere, quod tam facile ſibi affinxerunt, meſſem ſane inanem ab otioſa ſua operatione metent. Scimus, puta, quod poſt Benedictionem Divinam ac Radicem bonam primas obtineat Labor, Induſtria & Sedulitas. Nec ſane Labor facilis, (qui ludus potius ſeu animi recreamentum cenſendus eſt) id quod tantopere expetimus, ad vota dabit, imo, uti ait Hermes, non animæ ac labori parcendum eſt. Aliter, quod in parabolis prædixit Sapiens, verificabitur, nempe quod Inertis deſiderium occedet ipſum; nec mirum, ſi tot homines Alchemiam tractantes ad pauperiem redigantur, Laborem, puta, effugiunt,

nec ſumptus patiuntur. Nos autem; qui hæc novimus & elaborati ſumus, pro certo comperiimus, nullum laborem præparatione noſtra prima tædioſiorem. Idcirco Morienus ſerio Regem hac de re hortatur, dicens: Plurimos Sapientum de Operis hujus tædio fuiſſe conqueſtos. Nec figurate vellem hæc intelligi, ſiquidem non res jam conſidero, qualiter apparent in operis ſupernaturalis initio, verum qualiter illas primo invenimus. Habilem reddere maſſam, inquit Poëta, hoc Opus, hic Labor eſt. Iterumque:

*Alter inauratam noto de vertice pellem &c.*
*Alter onus quantum ſubeas quantumque laborem*
*Impendas craſſam circa molem & rude pondus, &c.*

Ea propter Herculeum hunc primum Laborem Nobilis ille Arcani Hermetici Autor nominat. Sunt enim in principiis noſtris multæ heterogeneæ ſuperfluitates, quæ in puritatem nunquam (ad Opus noſtrum) reduci poſſunt, ea propter penitus expurgare illas expedit, quod factu impoſſibile erit absque Arcanorum noſtrorum Theoria, qua medium docemus, quocum ex meretricis menſtruo excernatur diadema regale. Quo medio cognito, adhuc labor magnus requiritur, tantus, quod, ut ait Philoſophus, plurimi

rimi Artem dimiſerunt mancam, propter terribilia mala. Non tamen eo inficias, quin Mulier Artis laborem facile ſubire poſſit, ita tamen, ut inter labores, non Luſus ſibi adnumeret; Verum parato ſemel Mercurio, quies tandem adepta eſt, quæ quovis labore longe eſt optabilior, ut ait Philoſophus.

## *Ad Caput VIII.*

VIdeatur Mineralogia Noſtra Francofurti impreſſa paſſim.

## CAPUT IX.

### *De Virtute Noſtri Mercurii ſuper omnia Metalla.*

MErcurius Noſter eſt Serpens ille, qui Cadmi voravit ſocios, nec mirum, quia Cadmum ipſum cæteris robuſtiorem prius voraverat, tandem tamen hunc Serpentem Cadmus transfiget, cum virtute ſui Sulphuris illum coagulaverit. Scias itaque Mercurium hunc Noſtrum omnibus Corporibus Metallicis prædominari, illaque ſolvere in Materiam ſuam proximam Mercurialem, Sulphura eorum ſeparando; ſciasque, quod Mercurius Aquilæ unius, aut dua-

rum, aut trium Saturno, Jovi, Venerique imperet; Lunæ imperat a tribus Aquilis ad ſeptem, tandem Soli imperat à ſeptem ad Aquilas uſque decem. Notifico proinde, Mercurium hunc eſſe primo Enti Metallorum viciniorem quovis alio Mercurio, quare radicitus Corpora Metallica intrat, eorumque profunditates abſconſas manifeſtat.

## *Ad Caput IX.*

CApite Septimo expoſita eſt Præparatio Mercurii Philoſophici, cui Mercurio ſi Aurum addatur, habebitur effectus Pulveris Aurifici Via Longiori ad Annum & medium, ſi quis autem Operis abbreviationem intendit, neceſſe eſt, ut Mercurius ille, qui Cadmi voravit Socios, id eſt, Saturnum & Martem in Regulo, alia quoque Metalla in ſe recipiat, ut inprimis ſi ſit Mercurius ſemel, bis vel ter animatus, potens ſit reducere, Saturnum, Jovem & Venerem in Mercurium, ut ſic reddatur calidior; à Terra verò acuitione, uſque ad ſeptimam, potens ſit Lunam reſolvere, à ſeptima uſque ad decimam Solem, imò ſi uno verbo dicendum eſt, cum hoc Mercurio haberi poteſt Minera perpetua, Saturni, Jovis, Veneris, Lunæ & Solis.

CA-

# CAPUT X.

## *De Sulphure, quod eſt in Mercurio Sophico.*

PRæ cunctis nimirum hoc eſt, quod in MercurioNoſtro non modo actuale, verum etiam activum inſit Sulphur;& tamen omnes Mercurii proportiones& formam retinet. Quare formam illi per noſtram præparationem introductam neceſſe eſt, quæForma eſt Sulphur Metallicum, quod Sulphur eſt Ignis, qui compoſitumSolem putrefacit. Hic Sulphureus Ignis eſt Spirituale Semen, quod Virgo noſtra, (nihilominus intemerata remanens) contraxit, quia Amorem Spiritualem admittere poteſt Virginitas incorrupta, juxta Arcani Hermetici Autorem, ipſamq; Experientiam. Ratione huj9 Sulphuris eſt Hermaphroditus, quia tam activum, quam paſſivum Principium eodem tempore, idem Mercurius per eundem digeſtionis gradum conſpicuum includit. Siquidem cum Sole junctus hunc mollit, liquefacit, & ſolvit, Calore ad compoſiti exigentiam temperato; Eodem Igne ſeipſum coagulat, datque in ſuaCoagulatione Solem, eumque juxta operationis placitum. Incredibile hoc forſan Tibi videbi-

tur; at verum, nempe quod Mercurius homogeneus, purus & mundus, interno Sulphure per Artificium noſtrum gravidus, ſolo Calore convenienti adhibito ſemetipſum coagulet, per modum Floris Lactis, ſupranatante quaſi Terra ſubtili ſuper Aquas. Cum ſole vero junctus, non ſolum non coagulatur, verum mollius quotidie conſpicietur compoſitus, usque dum bene ſolutis Corporibus inceperint coagulari Spiritus, in Colore nigerrimo, in Odore fœtidiſſimo. Patet proinde, quod Sulphur hoc Spirituale Metallicum ſit revera Movens Primum, quod Rotam vertit, Axemque volvit in gyrum. Sulphur hoc eſt revera Aurum Volatile, nondum ſatis digeſtum, at ſatis purum, quare nuda digeſtione in Solem tranſit. Verum ſi jungatur Soli jam perfecto, non tum coagulatur; at diſſolvit Corporale Aurum, cum eoque diſſoluto remanet ſub una forma, licet ante unionem perfectam mors neceſſario debeat præcedere, ut poſt Mortem uniantur, non in unaria ſimpliciter perfecta, at in millenaria pluſquamperfecta Perfectione.

## *Ad Caput X.*

PRæparato tali Mercurio, qui ſolummodo per Regulum Martialem animatus eſt, ſi addatur

Aurum,

Aurum, totus Mercurius tranſibit in Aurum, via ongiori, effecta autem Minera Philoſophica Lunari, tota Luna tranſibit in Solem, ſine Sole, at effectæ Mineræ Jovis & Saturni, addendum eſt aliquid de Luna, ſic totum vertetur in Lunam.

# CAPUT XI.

## *De Inuentione Perfecti Magiſterii.*

SApientes olim, quotquot hanc Artem citra Librorum opem ſunt adepti, hoc modo ad illam aſſequendam ſunt adducti, nutu Dei. Non enim mihi perſuadere poſſum, quod immediata Revelatione ad ullos pervenerit, niſi forte Salomon illam habuerit, quod ſub judice relinquere, quam determinare malim. Et tamen etiamſi habuerit, ad illam tamen indagine perveniſſe quid impedit, cum Sapientiam ſolam poſtulaverit, quam Deus ſic illi dederat, ut cum illa etiam Opes, Pacemque poſſideret? Qui ergo plantarum arborumque naturam à Cedro in Libano ad Hyſſopum uſque parietariam rimatus eſt, intellexiſſe eum pariter Minerarum naturas, quarum non jucunda minus cognitio, quis ſanus mente negabit? Sed ad rem. Dicimus, quod veroſimiliter credendum ſit, hoc Magiſterio potitos primos Adeptos, inter quos Hermes, quibus Librorum deerat copia

pia, quæſiviſſe primo non pluſquam perfectionem, at ſimplicem tantum imperfectorum ad Regalem ſtatum Exaltationem. Cumque cernerent, omnia Metallica Mercurialis eſſe originis, Mercuriumque Pondere ac Homogeneitate eſſe Metallorum perfectiſſimo Auro ſimillimum, hunc ideo ad Auri Maturitatem digerere ſunt conati; verum nullo Igne id potuerunt efficere. Quare ſecum perpenderunt, requiri ſaltem præter extrinſecum Calorem internum Ignem ad vota complendum. Hunc itaque in plurimis rebus quæſiverunt. Primo Aquas ſumme calidas ex minoribus Mineralibus extillarunt, cum eodemque Mercurium corroderunt, at nulla Arte hac Via efficere poterant, ut Mercurius intrinſecas ſuas Proprietates mutaret, utpote quia Aquæ omnes Corroſivæ externa ſolum Agentia eſſent, per modum Ignis; licet differenter; at non permanebant hæc Menſtrua, uti vocabant, cum Corpore diſſoluto. Eadem ratione confirmati Salia cuncta repudiarunt, uno Sale excepto, qui eſt Salium Ens primum, qui quodvis Metallum diſſolvit, eademque opera Mercurium coagulat; at hoc non niſi Via violenta. Quare Agens iſtiusmodi integro Pondere & Viribus a Rebus iterum ſeparatur. Quare agnoverunt

unt tandem Viri Sapientes in Mercurio ob-
ſtare Cruditates aqueas,& Fæces terreas, ne
digeſtus fiat, quæ radicitus infixæ, non niſi
per totius compoſiti inverſionem poſſint ex-
terminari. Noverunt, inquam, Mercurium,
ſi poſſet iſta exuere, ſtatim fixum futurum.
In ſe quippe fermentale Sulphur habet, cujus
vel minimum granum eſſet ſatis ad totum
Corpus Mercuriale coagulandum, dummo-
do Fæces & Cruditates poſſint ſemoveri. Hoc
ergo tentarunt Purgationibus variis, at fru-
ſtra; utpote cum Mortificationem pariter
& Regenerationem poſtulet prædictum
Opus, ad quod Agente opus. Tandemque
noverunt, Mercurium in Terræ Viſceribus
ad Metallum fuiſſe deſtinatum, ad quem
Scopum quotidianum retinebat Motum,
quamdiu Loci aptitudo, cæteraque externa,
bene diſpoſita manſerunt; verum caſu his
vitiatis, ſponte ruebat hæc immatura Proles.
Sic quod privatum quoddam Motu, Vita-
que conſpicitur, a Privatione vero ad Habi-
tum regreſſus immediatus eſt impoſſibilis.
Paſſivum, puta, eſt in Mercurio, quod eſſe
debuerat Activum; ita quod opus ſit Vitam
aliam, ejuſdem Naturæ, huic introducere, in
qua introducenda Vitam Mercurii latentem
ſuſcitat. Sic Vita Vitam recipit; tum tan-
dem

dem funditus immutatur, & a Centro ſponte reiiciuntur Fæces ſeu Sordes, prout in præcedentibus Capitulis abunde ſatis ſcripſimus. Vita hæc eſt in ſolo Sulphure metallico: Hoc quæſiverunt Magi in Venere, ſimilibusque Subſtantiis, at fruſtra. Tandem Saturni Sobolem in manus acceperunt, illamque probaverunt Auri Stylangem. Quod ergo ab Auro maturo Fæces ſecernendi vim haberet, idem in Mercurio facturam argumento a majori ad minus ducto confidebant. At & hanc ſuas Sordes retinere experimento comprobarunt, memineruntque triti Proverbii: Mundus eſto, qui alterum cupis mundificare. Quare hanc purgare conantes, penitus compererunt impoſſibile, quoniam in ſe Sulphur nullum haberet Metallicum, licet Sale Naturæ abundaret purgatiſſimo. Quod ergo in Mercurio exiguum, idque paſſivum ſolum Sulphur notarunt, in hac Saturni Prole nullum actuale, at ſolum potentiale invenerunt. Quare cum Sulphure Arſenicali comburente fœdus iniit, & ſine hoc ſtulteſcens ſubſiſtere nequit in Forma coagulata, & tamen ita ſtupida eſt, quod cum hoc Hoſte, à quo arctiſſime incarceratur, habitare malit, Scortationemque committere, quam renuntiare huic, & ſub Forma Mercuriali apparere. Quare

Activum

Activum Sulphur ulterius quærentes, penitiſſime tandem abditum in Domo Arietis quæſiverunt & invenerunt Magi. Hoc autem a Saturni Prole avidiſſime eſt exceptum, quæ puta, Materia Metallica eſt puriſſima, tenerrima, primoque Enti Metallico propinquiſſima, omni privata Sulphure Actuali, in potentia tamen ad Sulphur recipiendum. Quare inſtar Magnetis ad ſe hoc trahit, & in ſuo Ventre abſorbet ac abſcondit, Omnipotensque, quo Opus hoc ſumme exornaret, regium ſuum Sigillum huic imprimit. Tunc ſtatim gaviſi ſunt Magi, cum Sulphur non ſolum repertum, at etiam paratum conſpexerint. Tandem Mercurium purgare per hoc ſunt aggreſſi, at non reſpondit eventus, quia adhuc malignitas Arſenicalis huic Sulphuri in Sobole Saturni abſorpto commiſceretur, quæ etſi exigua jam eſſet, reſpectu ejus, quam in ſua minerali natura haberet, copiæ, tamen omnem prohiberet Ingreſſum. Quare per Columbas Dianæ hanc Aëris malignitatem contemperare probarunt, & Eventus Votis reſpondebat. Tum Vitam Vitæ commiſcuerunt, & per liquidam ſiccam humectarunt, nec non per Activã Paſſivam acuerunt & per Vivam Mortuam vivificarunt. Sic obnubilatum eſt Cœlum ad tempus, quod poſt largos

Imbres

Imbres iterum ſerenum factum eſt. Hinc Mercurius emerſit Hermaphroditicus. Hunc ergo in Ignem poſuerunt, & illum tempore haud admodum longo coagularunt, inque ſua Coagulatione Solem Lunamque repererunt puriſſima. Tandem ad ſe reverſi cogitarunt, quod Mercurius ſic depuratus nondum coagulatus nondum erat Metallum, at Volatilis ſatis, quodque nullam relinqueret in deſtillatione ſua in fundo remanentiam. Quare Solem immaturum, Lunamque ſuam vivam illum nominarunt. Conſiderarunt item, quod ex quo verum eſſet Auri Ens primum, adhuc volatile exiſtens, quidni eſſet ager, in quo ſatus Sol virtute augeretur. Ea propter Solem in eodem poſuerunt, & quod admirationem facile patraret, fixum in eodem factum eſt Volatile durum molle, coagulatum, diſſolutum ſtupente ipſa natura. Quare hæc duo invicem deſponſarunt, Vitro incluſerunt, ad Ignem poſuerunt, Opuſque rexerunt ad Naturæ exigentiam, tempore longo. Sic vivificatũ eſt mortuum, mortuumque eſt vivum, putruit corpus, & glorioſus reſurrexit Spiritus, Animaque tandem exaltata eſt in Eſſentiam Quintam, Animalibus, Metallis ac Vegetabilibus ſummam medicinam.

# *Ad Caput XI.*

VEteres Philoſophi quæſiverunt imprimis, quomodo ex Imperfecto poſſint facere Perfectum, id eſt, quomodo ex Mercurio poſſint facere Solem vel Lunam, poſtmodum inveſtigarunt, quomodo poſſint facere ex Perfecto Plusquamperfectum, imprimis quæſiverunt, quomodo figendus ſit Mercurius per Aquas corroſivas, ſed fruſtra hactenus laboratum fuit, quia imperfectio Mercurii procedit à defectu Sulphuris boni, ſeu ab intrinſeco, aquæ autem & ſalia agunt ſaltem extrinſecè, ſeu à ſuperficie, ergò hoc malum non potuit curari. Invenerunt quidem Salium Ens primum, quod ubique reperitur, & omnia vegetat, nimirum, Sal Nitrum, quod coagulare poteſt Mercurium, ſed ſaltem extrinſece, & poſt coagulationem Mercurii, Mercurius coagulatus dicitur, ſed non fixus, quia Fixio, ſtricte loquendo, procedit ab Agente intrinſeco; poſtmodum purgarunt Mercurium, at & hoc non ſufficit, quia Calor, ſeu Agens interiora Mercurii, introducendus eſt, Vita hæc ſeu Sulphur agens, conſiſtit in Metallico Semine, ſpirituali, in Venere fruſtra, ſicut & in Saturno quæritur, quorum Mercurius per Sulphur Arſenicale coagulatus eſt, Sulphur hoc invenitur in Domo Arietis, in hac Domo Mars habitat, quam Magnes ad ſe trahit, hæc Materia Metallica, Sigillo Regio Stellari adnotatur, ingreſſum tamen in Mercurium non habet, niſi per Marcaſitam: hinc Mercurius evadit animatus, qui in Mineram tranſiens, Solem & Lunam dabit in ſui Coagulatione, id eſt, dabit Simplicem Perfectionem. Si autem Aurum fuerit

ſeminatum in hoc agro, poſt primam & ſecundam Rotationem, dabit Tincturam via longiori quæſitam.

## CAPUT XII.

### *De Modo faciendi perfectum Magiſterium in genere.*

IMmortales Deo gratias agere debemus, quod hæc Arcana Naturæ nobis monſtraverit, quæ ab oculis plurimorum abſcondidit. Quæ ergo nobis gratis data ſunt à Datore illo magno, gratis ac fideliter aliis Studioſis patefaciemus. Scias itaque Operationis Noſtræ Secretum maximum aliud nihil exiſtere, quam Cohobationem naturarum, unius ſuper aliam, quousq; Virtus digeſtiſſima ex digeſto per crudum extrahatur. Ad hoc autem requiritur Primo exacta rerum Opus ingredientium Comparatio ac Præparatio Adaptatioque. Secundo externarum bona Diſpoſitio; Tertio rebus ſic paratis bonū requiritur Regimen; Quarto Præcognitio deſideratur Colorum in Opere apparentium, ne cæce procedatur; Quinto Patientia, ne Opus feſtinetur aut præcipitanter regatur. De his omnibus quantum frater fratri dicemus ordine.

*Ad*

## *Ad Caput XII.*

OStendit totam vim Secreti hujus ſitam eſſe in Commixtione Mercurii cum Regulo,& ejusdem Mercurii à Regulo Separatione,quæ Cohobationes naturarum vocantur.

# CAPUT XIII.

## *De Sulphuris maturi Uſu in Opere Elixiris.*

DE Mercurii neceſſitate diximus, multaque deMercurio Arcana tradidimus, quæ ante me ſat erant in Mundo jejuna,quia aut Ænigmatibus obſcuris, aut Sophiſticis Operationibus, aut tandem verborum ſcabroſorumcongerie,Libri fere omnesChemici ſcatent. Ego vero non ſic egi, hac in re voluntatē meam divino beneplacito reſignans, qui hac ultima mundi periodo Theſauros hoſce reſeraturus mihi videtur, quare non amplius timeo, ne vileſcat Ars, abſit. Hoc fieri nequit. Nam vera Sapiētia ſeipſam in æterno tuetur honore. Utinam tandem inſtar fimi vileſceret Aurum Argentumque: magnum à toto mundo hactenus adoratum Idolum! tum nos, qui hæc callemus, non ita latere ſtuderemus, qui jam ipſam Caini

maledictionem recepiſſe nos, ( lugentes atque ſuſpirantes! ) judicamus; nempe ut a Facie quaſi Domini arceremur; & à jucunda Societate,quam quondam cum Amicis ſine pavore habuimus. Jam vero agitamur quaſi a Furiis obſeſſi, nec ullo loco tutos noſmet diu credere poſſumus, ſæpe quoque lamentationem Cain ad Deum queruli facimus: Ecce quicunque me inveniet, occidet. Familiæ Curam non auſi ſuſcipere, vagabundi per varias Gentes eramus, nec certam ullam habitationem obtinemus. Et licet omnia poſſideamus, paucis tamen uti licet; in quo ergo felices ſumus, ſola excepta Speculatione, in qua magna eſt animi ſatisfactio? Credunt multi,qui ab Arte ſunt alieni,ſe ſi illa potirentur, hæc & talia facturos, ſic quoque & Nos olim credidimus, verum cautiores facti periculis ſecretiorem Methodum elegimus. Qui enim imminens Vitæ periculum ſemel aufugerit, de cætero, crede mihi, ſapientior, dum vixerit, reddetur. Uxores, ut in proverbio eſt, Cœlibum,Puerique Virginum bene veſtiuntur ac educantur. Inveni Mundum in maligniſſimo ſtatu poſitum, ſic quod nullus fere reperiatur, utut Honeſti faciem geſſerit, Reſque publicas obtenderit, qui non priva-

tum

tum Scopum aliquem ſordidum ac indignum ſibi proponat. Nec quiſquam Mortalium ſolus quidquam efficere valet, ut ne quidem in Miſericordiæ operibus, niſi Capitis diſcrimen incurrere voluerit: quod nuper ſum expertus in Locis quibusdam peregrinis, ubi Medicinam moribundis quibusdam deſertis atque afflictis Corporis miſeriis exhibui, & ad Miraculum Sanitatem recuperarunt, murmur ſtatim factum eſt de Elixiri Sophorum, ita quod non ſemel ſummis cum moleſtiis, mutatis veſtibus, raſo capite, crinibusque aliis indutus, alterato Nomine noctu fugam facerem, aliter in manus nequiſſimorum hominum mihi inſidiantium (ob ſolam ſuſpicionem una cum Auri ſiti ſacerrima conjunctam) incidiſſem, multa hujuſmodi narrare poſſem, quæ nonnullis ridicula videbuntur. Dicent enim, ſi ego hæc vel illa ſcirem, aliter facerem, ſciant tamen ingenioſis tædio futurum cum Bardis converſari, ingenioſi autem ſunt vafri, ſubtiles, perſpicaces, & quidem ut Argi ſunt oculati, quidam Curioſi ſunt, quidam Machiavelliani, qui inquirent in Vitam, Mores, atque Hominum Actiones penitiſſime, a quibus ſaltem, ſi familiaris adſit notitia, latere eſt per difficile. Si talem, qui hæc de ſe credit, (nempe

ſe ſic aut ſic facturum, ſi Lapide potiretur) alloquens, dicerem: Tu es Adepti cujusdam familiaris, ſtatim mente revolvens, reſponderet: hoc eſſe impoſſibile, forſan ſemel videre poſſem, at familiariter cum eo verſari non fieri poteſt, quin olfacerem. Tu qui hæc credis de te ipſo, an non alios æquali tecum perſpicacitate pollere credis, qui te diſcernant, cum quibusdam enim converſari oportet, aliter Cynicus alter Diogenes videbere. Si vero cum plebeiis verſabere, hoc indignum. Si vero inter prudentes familiaritatem contraxeris, ſumme cautum eſſe te oportet, ne alii te diſcernant eadem facilitate, qua te alium Adeptum (tibi ignoranti Secretum notum) expiſcari poſſe, credis, ſi modo familiari ejus conſortio potiri valeas. Adhuc non facile ſuſpicionem conceptam dignoſces, citra grave incommodum: levis item conjectura ſatisfaciet ad inſidias tibi parandas. Tanta eſt in Hominibus nequitia, quod non raro laqueo ſtrangulatos quoſdam novimus, qui tamen ab Arte erant alieni. Sufficiebat quod deſperati quidam murmur audierant de Arte tali, cujus peritiæ nomen habuerunt. Tædio foret omnia recenſere, quæ Noſmet experti ſumus, vidimus atque audivimus hac de re, inſuper hac

ætate

ætate mundi plus, quam ulla priori. Quis non Alchimiam prætendit, ita ut ne pedem vix movere auſus fueris, niſi prodi cupias, ſi modo ſecreto aliquid tranſegeris. Hæc tua cautio zelum quibuſdam incutiet, ut penitius te rimentur, de Nummorum Sophiſticatione oggannient, & quid non? Sin paulo apertior fueris, effecta ſunt inſolita, ſive fuerint in Medicina, ſive in Alchimia, ſi Auri Argentique pondus ingens habueris, idque venundare velis, mirabitur facile ullus Auri Obryzi Argentive puriſſimi unde magna quantitas adveheretur, cum à nullis fere locis, niſi forte Barbaria aut Guinea Aurum Obryzum adducatur, idque ſub ſpecie Arenæ minutiſſimæ: tuum vero illo gradu nobilius, & tamen ſub maſſæ forma, non carebit murmure maximo. Non tam ſtupidi ſunt ementes, licet inſtar puerorum ludentes dixerint, oculi ſunt clauſi, veni, non videmus; ſi adveneris tamen, ex uno ſaltem Oculi angulo tantum videbunt, quantum tibi ſat ſit ad miſeriam maximam creandam. Argentum vero finum adeo ac Arte noſtra productum eſt, à nullo Loco affertur. Ex Hiſpania quod adducitur optimum, parum bonitate excellet Sterling Anglicanum, idque ſub forma Monetæ rudioris, quæ furto

tranſportatur, Legibus Regionum prohibentibus. Si ergo copiam Puri Argenti vendideris, jam te prodidiſti, ſin autem adulteraveris, (non Metallurgus) capitis ſupplicio teneris, juxta Leges Angliæ atque Hollandiæ ac omnium fere gentium, quæ provident, quod omnis deterioratio Auri & Argenti, licet ad Stateram, ſi modo non per Metallarium profeſſum ac Licentiatum ſub capitis crimine cenſeretur. Novimus Nos, quod dum quondam vendere Argenti puriſſimi tantum, quantum 600. Libræ, tentaremus, extra Patriam noſtram, Mercatori ſimiles induti, nam adulterare non auſi fuimus, quia quævis fere Regio ſuã habet Argenti bonitatis ſtateram ac Auri, quam facile norunt Metallici, in tantum, quod ſi prætenderemus allatum hinc aut inde, per Probam ſtatim agnoſcerent, apprehenderentque vendentem, ſtatim dixerint nobis, quibus obtulimus, Arte factum Argentum. Cauſam cur id affirmarent rogantibus Nobis, nil aliud reſpondebant, quam Argentum, quod ex Anglia, Hiſpania, &c. affertur, non jam diſcernere diſcituri ſumus: at hoc eſt ex nullo illorum genere. Quod Nos audientes, clam ſubduximus Nos, & reliquimus tam Argentum quam pretium nunquam repetendum.

dum. Inſuper ſi finges aliunde allatum Magnum Auri pondus, præcipue Argenti, hoc ſine rumore fieri nequit. Dicet Nauclerus, talis Argenti quantitas à me non eſt allata, nec poteſt Navem ingredi, cunctis neſcientibus. Cumque audierint alii, qui illuc mercari aſſolent, ridebunt, dicentque, quid? an veriſimile, quod maſſam Argenti Aurive hic poſſit comparare, Navi imponere, tam ſtrictis prohibentibus Legibus, tamque ſtricto ſcrutinio præcaveri ſolito. Sic ſtatim non in una ſaltem Regione, at in circumiacentibus publicabitur. Hæc nos periculis edocti latere decrevimus, tibique, qui talem ſomnias Artem, communicabimus, ut videamus, quidnam in bonum publicum, cum Adeptus fueris, machinaberis. Dicimus ergo, quod ſicut antea Mercurium in Opere neceſſarium docui, taliaque de Mercurio protuli, quæ nulla ante me fecit Vetuſtas; ita jam Sulphur ex altera parte expeti notifico, ſine quo Mercurius nunquam proficuam pro Opere Supernaturali Congelationem accipiet. Sulphur hoc in Opere Noſtro Maris vices gerit, & ſine hoc quicunque Artem aggreditur transmutatoriam, in caſſum omnia tentat, omnibus Sophis affirmantibus, nullam fieri poſſe Tincturam ſine Ære ſuo,

quod Æs eſt Aurum ſine ulla ambiguitate ſic dictum. Hinc Nobilis Sendivogius: Sciens, *inquit*, & inter Stercora Lapidem noſtrum cognoſcit, & ignorans etiam in Auro illum eſſe non credit; In Auro, puta, quod Aurum Sophorum eſt, Aureitatis Tinctura latet, hoc cum ſit corpus digeſtiſſimum, tamen in uno ſolo noſtro Mercurio incrudatur, & à Mercurio Seminis ſui Multiplicationem recipit, non tam Pondere quam Virtute. Et quamvis Sophiſticum plurimi Sophorum hoc negare videantur, ita tamen eſt revera, uti dixi. Ajunt, puta, mortuum eſſe Aurum vulgare, ſuum autem Vivum eſſe; ſic pariter granum Tritici mortuum eſt, id eſt, activitas in eo germinans ſuppreſſa ſuccumbit, atque ſic æternum maneret, ſi modo in aëre ſicco ambiente ſervetur: verum in terram projiciatur, & vitam fermentalem mox ſuſcipit, tumet, molleſit, germinatque. Ita porro res ſeſe habet cum Auro Noſtro, mortuum eſt, id eſt, ſigillatur ejus Vis vivifica ſub Cortice corporeo: ad grani ſimilitudinem, licet differenter, in quantum diſcrimen intercedit magnum inter Granum Vegetabile, Aurumque metallicum. Verum quemadmodum granum in aëre ſicco in perpetuum im-

impermutatum manet, in Igne deſtruitur, in Aqua ſola noſtra eſt reducibile, & tunc vivum eſt granum noſtrum; prout Triticum in agro ſeminatum, mutato nomine, eſt ſementum Agricolæ, quod quamdiu in horreo maneret, frumentum erat, tam ad panificium aliaque, quam ad ſeminationem accommodatum: pariter & Aurum, quamdiu in Annuli Vaſiſve forma, Nummive conſpicitur, vulgare eſt, priori modo mortuum dicitur, quia immutatum ad Mundi uſque finem maneret; poſteriori modo vivum dicitur, quia ſic eſt in potentia, quæ Potentia intra paucos dies in Actum deduci valet, Aurum tum non amplius erit Aurum, ſed Sophorum Chaos. Merito ergo dicunt Philoſophi: Aurum Philoſophicum ab Auro vulgari diſtare, quæ differentia in Compoſitione conſiſtit. Prout enim homo mortuus dicitur, qui jam mortis ſententiam recepit: ſic Aurum vivum dicitur, cum tali compoſitione miſcetur, talique igni ſupponitur, in quo neceſſario vitam germinativam brevi ſit recepturum, imò intra paucos dies vitæ inchoantis actiones ſit demonſtraturum. Quare iidem Sophi, qui dicunt Aurum ſuum vivum eſſe, jubent te Artis inveſtigatorem mortuum revivificare; hoc

ſi no-

ſi noveris atque Agens paraveris, ac rite miſcueris Aurum tuum, non tarde vivum fiet: in qua Vivificatione Vivum tuum Menſtruum morietur. Ideo jubent Magi mortuum vivificare, vivumque mortificare, & tamen Aquam ſuam primo limine vivam vocant, dicuntque, quod Mors unius Principii cum Vita alterius unam eandemque habeat periodum. Unde patet Aurum ſuum mortuum ſumi, Aquam vero vivam; at componendo hæc ſimul brevi Decoctione vivefit Aurum mortuum, occiditurque Vivus Mercurius, id eſt, coagulatur Spiritus ſoluto Corpore atq; ita in forma Limi putreſcunt utraque ſimul, uſque dum omnia membra compoſiti in Atomos divellantur. Hîc ergo eſt Naturalitas Noſtri Magiſterii. Myſterium quod tantopere occultamus, eſt parare Mercurium, vere ſic dictum, qui non poteſt reperiri ſuper terram, ad manus noſtras paratus, idque ob ſingulares rationes notas Adeptis. In Mercurio hoc Aurum purum, purgatum ad ſummum puritatis gradum, limatum aut lamellatum amalgamamus optime, & in Vitro incluſum aſſidue coquimus: Aurum virtute Aquæ noſtræ diſſolvitur, reditque ad proximam ſuam Materiam, in qua Vita Auri incluſa ſit libera, & ſuſcipit Vi-

tam

tam diſſolventis Mercurii, qui eſt reſpectu Auri idem, quod Terra bona, reſpectu grani Tritici. In hoc ergo Mercurio Aurum ſolutum putrefit, & ita neceſſario oportet eſſe, neceſſitate Naturæ. Quare poſt putredinem mortis reſurgit Novum Corpus, ejusdem cum priori Eſſentiæ, nobiliorisque Subſtantiæ, quæ gradus ſuſcipit virtutis proportionabiliter ad differentiam, inter Elementorum quatuor qualitates. Hæc eſt Operis Noſtri ratio. Hæc eſt tota Noſtra Philoſophia. Dicimus itaque, quod nil ſit in Opere Noſtro ſecretum, excepto ſolo Mercurio, cujus Magiſterium eſt, rite Illum præparare, & cum Auro juſta proportione maritare. Igneque regere ad Mercurii exigentiam. Quia Aurum per ſe non timet ignem, ergo Regimen Caloris ad Mercurii tolerantiam accomodare hic Labor, hoc Opus. Qui vero Mercurium ſuum non rite pararit, etſi cum eo Aurum junxerit, ejus Aurum adhuc eſt Aurum vulgi, utpote quod cum tali agente fatuo jungitur, in quo æque impermutatum manet, ac ſi in Arca maneret, nulloque Ignis regimine corpoream Naturam deponet. Noſter vero Mercurius non eſt talis, ideoque Aurum Noſtrum eſt Spermaticum, ſicut Triticum ſatum eſt Sementum,

cum idem Triticum in horreo annona, ſive frumentum maneat, mortuumque. Licet enim in pyxide ſubtus terram inhumetur, (prout Indi Occidentales frugem ſuam in terræ foſſis à vapore aqueo munitis abſcondere aſſolent,) tamen niſi Vapori terræ humido occurrat, mortuum eſt, id eſt, ſine fructu manet, & à Vegetatione remotum plane. Scio multos eſſe, qui Doctrinam hanc carpent, dicentque, Aurum vulgi Subjectum Lapidis materiale affirmat, Mercuriumque currentem: nos vero contrarium novimus. Agite Philoſophi, Crumenas veſtras examinate, quia talia noviſtis, num Lapidem habetis? Ego ſane non ex dono, (niſi DEI mei,) non furto illum poſſideo, habeo, feci, & quotidie mea ſub ditione ſervo. Eja, tractate Aquas veſtras pluviales, majales, Salia veſtra, garrite de Spermate veſtro, Dæmone ipſo potentiore, laceſſite me opprobriis, creditis me hoc veſtro turpiloquio triſtitia affici? Dico, quod ſolum Aurum & Mercurius ſint noſtra Materialia, & ſcio, quæ ſcribo, & novit Cordium Scrutator DEUS, quod ſcribam vera. Nec eſt quod invidiæ me accuſes, quoniam interrito calamo, inaudito ſtylo, in honorem DEI, Uſumfructum Proximi, Mundi-

que

que & Divitiarum contemptum ſcribo. Quia natus eſt jam Elias Artiſta, & glorioſa jam prædicantur de Civitate DEI. Plures auſim aſſeverare me poſſidere divitias, quam totus valet cognitus Orbis: at uti non licet ob nebulonum inſidias. Dedignor merito atque deteſtor hanc Auri Argentique Idolomaniam, qua cum pretium, pompam ac vanitates Mundus celebrat. Ah turpe ſcelus! ah inane nihil! creditis me hæc celare, ſcilicet ex invidia? nequaquam: profiteor namque me ex imo pectore dolere, quod nos vagabundi per totam terram quaſi à Domini Facie arcemur. At verbis non opus eſt, quæ vidimus, tetigimus, ac elaboravimus, quæ habemus, poſſidemus atque novimus, hæc declaramus ſola compaſſione erga Studioſos moti, ex indignatione Auri & Argenti, Lapidumque pretioſorum, non quatenus Dei Creaturæ, abſit, eatenus quippe honoramus & honoranda cenſemus; at Populus adorat Iſraëliticus pariter ac mundanus. Quare Serpentis inſtar ahenei in pulverem conteratur. Spero & expecto, quod poſt paucos annos pecus erit pecunia, fulcrumque hoc belluæ Antichriſtianæ ruet in rudera, delirat populus, inſaniunt gentes, inutile pondus vice Dei habent. Hæccine noſtram

noſtram tamdiu expectatam brevique emerſuram redemptionem concomitabuntur? quum Hieruſalem nova Auro in plateis ſcatebit, Portæque ex integris Margaritis Lapidibusque pretioſiſſimis conficientur, Arborque Vitæ in Paradiſi medio folia dabit ad gentium ſanitatem? Novi, Novi, quod hæc mea Scripta erunt plurimis inſtar Auri Obryzi, & Aurum Argentumque per hæc mea Scripta vileſcent inſtar fimi, credite Juvenes tyrones, credite Patres, quia tempus adeſt ad fores, non ex vano conceptu hæc ſcribo, at in Spiritu video, cum nos Adepti à quatuor angulis terræ redibimus, nec amplius timebimus, & Domino Deo Noſtro gratulabimur. Cor meum inaudita murmurat, Spiritus meus in bonum totius Iſraëlis Dei in Pectore pulſat. Hæc præmitto in Mundum præconis inſtar, ut non inutilis Mundo ſepeliar. Eſto Liber meus præcurſor Eliæ, qui paret Viam Domini Regiam, & utinam quilibet in toto Terrarum Orbe ingenioſus Artem hanc calleret, tum copioſiſſime abundante Auro, Argento Gemmisque nullus hæc magnifaceret, niſi quatenus Scientiam continerent. Tunc tandem Virtus nuda ob ſui ipſius naturam amabilem in honore haberetur. Novi plurimos Artem poſſidentes, veramque ejus

Notitiam, qui omnes Silentiũ ſecretiſſimum habent in Votis. Ego vero ob Spem, quam in Deo meo habeo, aliter judico, quare Librum hunc conſcripſi, de quo nullus Fratrum meorum Adeptorum (qui Buſtum quotidie verſor) novit. In Fide enim firmiſſima DEUS Requiem Cordi meo dedit, credoq; ſine dubio, quod Domino Creditori, Mundoque proximo, Iſraeli præcipue, ſim hac Via ſerviturus hoc Talenti mei Uſu, & ſcio nullum poſſe Talentum ſuum tantum in Fœnus proferre: prævideo namque centenos aliquot forte hiſce meis Scriptis fore illuminatos. Ea propter cum Carne & Sanguine non contuli, Conſenſum Fratrum in hoc ſcribendo non ſum aucupatus. Faxit DEUS, pro Nominis ſui Gloria, ut quem expecto Finem conſequar, tum ſaltem gaudebunt, quotquot me norunt Adepti, quod hæc publicarim.

## *Ad Caput XIII.*

HOc Capite annotat, multa dicta eſſe de Mercurio, cui Aurum additur pro Sulphure coagulante.

# CAPUT XIV.

## *De Requiſitis in genere ad hoc Opus Circumſtantiis Accidentibus.*

ARtem Chemicam ab omnibus Erroribus vulgaribus ſequeſtravimus, &, debellatis Sophiſmatibus & Putatorum Curioſis Somniis, Artem ex Auro & Mercurio fieri debere docuimus. Solum Aurum ſine ulla Metaphora oſtendimus; Mercurium Argentum Vivum, citra omnem ambiguitatem declaravimus. Prius à natura perfectum & venale demonſtravimus; Poſterius per Artem fabricandum oſtendimus. Rationes addidimus tam claras ac perſpicuas, quod niſi cæcutire velles ad Solem, non poſſis, quin perciperes. Profeſſi ſumus, iterumque profitemur, Nos non ex Fide, quam aliorum Scriptis damus, hæc protuliſſe; vidimus ac novimus, quæ fideliter declaramus, fecimus, vidimus ac tenemus Lapidem magnum Elixirem. Nec ſane Tibi invidemus illius Notitiam, at optamus, ut ex his Scriptis ediſcas. Notificavimus inſuper, quod difficilis ſit Mercurii veri Philoſophici præparatio, tamque difficilis, ut opus ſit peculiari DEI Gratia, ſi quis ad

exactam ejus Notitiam pervenire cupierit. Ego, quod nullus alius ante me fecit, talia de illius Fabrica protuli, ut plura nequeam, niſi receptum darem, quod & feci, ſolummodo Res Propriis Suis Nominibus non nominavi. Reſtat porro, ut Uſum Praxinque deſcribamus, per quam facile Bonitatem aut Defectum Mercurii dignoſcas, & eo cognito alterare atque emendare pro Voto poſſis. Habito itaque Mercurio Animato, Auroque, Accidentalis reſtat Purgatio, tam Mercurii, quam Auri, poſtea Deſponſatio, tertio Rectio.

## CAPUT XV.

### *De Accidentali Purgatione Mercurii & Auri.*

AUrum perfectum in Terræ Viſceribus eruitur, unde aliquando in Fruſtulis Arenaque reperitur. Si hoc ſincerum habere poſſis, purum eſt ſatis; ſin minus, purga vel cum Antimonio, vel per Cineritium, vel bulliendo cum Aqua Forti, Auro prius granulato. Poſtea funde Igne Fuſionis, ac limato, & paratum eſt. Mercurius vero indiget interna atque eſſentiali Purgatione, quæ eſt Additio Sulphuris Veri gradatim,

juxta Numerum Aquilarum, tum radicitus purgatur. At inſuper Accidentalem poſcit Mundationem, ad externas Sordes à Centro ejectas abluendas. Non abſolute neceſſarius eſt hic Labor, tamen Opus accelerat, ideoque conveniens eſt. Quare cape Mercurii tui, quem paraſti per Aquilarum Numerum convenientem, & ſublima ter à Sale Communi ac Martis Scoriis, terendo ſimul cum Aceto & modico Salis Ammoniaci, uſque dum Mercurius diſpareat, exſiccatum, & deſtilla per Retortam Vitream Igne gradatim aucto, uſque dum totus Mercurius aſcenderit. Hoc quater reitera, poſtea Mercurium bulli in Aceti Spiritu per Horam in Cucurbita aut Vitro lati Fundi ac ſtricti Colli, agitando interdum ſtrenuè. Decanta tum Acetum, & Acetoſitatem elue Aqua fontana, repetitim affuſa. Tum exſicca Mercurium & Fulgorem ejus mirabere. Poſſes lavare Urina, aut Aceto & Sale, ac Sublimationi parcere, tum ſaltem quater deſtillare, poſtquam omnes Aquilas perfeciſti citra Additionem, lavando Retortam Chalybeatam quavis vice Cinere ac Aqua; tandem bulli in Aceto ſtillato per Dimidium Diei, agitando interdum ſtrenuè & nigricans Acetum effunde, & affunde novum

vum; tandem elue Aqua calida, poſſisque Aceti Spiritum rediſtillando à Nigredine liberare, & ejusdem Virtutis habere. Hoc totum eſt ad amovendam externam Immunditiem, quæ non adhæret in Centro, & tamen eſt in Superficie paulo obſtinatior, quam ſic percipies: Mercurium amalgama cum Auro purgatiſſimo, fiat Amalgama in Charta mundiſſima, & videbis, quod Amalgama Chartam Nigredine fuſca inquinarit. Huic Fæci tu occurres per Deſtillationem præfatam & Ebullitionem ac Agitationem, quæ Præparatio Opus valde promovet accelerando.

## CAPUT XVI.

### *De Amalgamate Mercurii & Auri, & de Pondere utriusque debito.*

HIſce rite peractis, capies Auri purgati & lamellati, aut ſubtiliter limati, Partem unam, Mercurii Partes binas, impone Mortario Marmoreo, calefacto, nempe in Aqua bulliente, (ex qua ſtatim exemptum exſiccatur, & Calorem diu retinet) tere cum Piſtillo Eburneo, aut Vitreo, aut Lapideo, aut Ferreo, (quod non tam bonum eſt,) aut

Buxeo; Vitreum tamen aut Lapideum præſtat. Ego Corallino albo uti ſoleo. Tere, inquam, ſtrenue, quouſque fiat impalpabilis, tanta cum Diligentia tere, ac Pictores Colores ſuos ſolent comminuere, tum vide Temperaturam; ſi plicabilis ſit inſtar Butyri, non nimis calidi, nedum frigidi, ita tamen, ut declinatum Amalgama non permittat decurrere Mercurium, inſtar Aquæ Hydropicæ intercutalis, bona eſt Conſiſtentia; ſin minus adde Aquæ, quantum ſufficit, ad hujuſmodi Conſiſtentiam faciendam. Lex Miſturæ hæc eſt, quod promptiſſime plicabilis ſit, ac molliſſima, & tamen inſtar glebularum rotundarum formari queat, inſtar Butyri, quod licet Digiti Tactu leviſſimo cedat, tamen in Globos formari à Muliere lavante poteſt. Exemplum allatum obſerva, ut exactiſſimum, quia ut Butyrum, etſi declinetur, tamen non effundit de ſe liquidius aliquid, quam tota eſt Maſſa: pariter eſt Miſtura Noſtra. Pro intrinſeca Natura Mercurii hoc Signum dabitur vel in Dupla vel in Tripla Proportione Mercurii ad Corpus, vel etiam in Triplo Corporis ad Quadruplum Spiritus, aut Duplo ad Triplum; eritque pro Mercurii Differentia mollius aut aſperius Amalgama; ſemper tamen memen-

to,

to, quod in Glebulas coaleſcat, illæque Glebulæ ſe poſitæ ſic concreſcant, quod non appareat Vivacior Mercuri9 in Fundo quam in Summo. Nota enim, quod ſi quieſcere permittatur Amalgama, ſponte indureſcit. Judicanda ergo eſt temperatura inter agitandum, & ſi tum plicabilis ſit inſtar Butyri, Glebulasque fieri permittat, ſuæque Glebulæ in Charta munda poſitæ ſine Moleſtia ſic in Quiete concreſcant, quod Fundus Summitate non ſit liquidior, bona eſt Proportio. Hoc facto cape Spiritum Aceti, & ſolve in eo tertiam Partem Salis Ammoniaci, & impone Mercurium & Solem antea amalgamatum in hunc Liquorem, impone Vitro Colli longi, & bullire permitte Quadrantem Horæ, Sorti Ebullitione, tum exime Miſturam ex Vitro, ſemove Liquorem, calefac Mortarium, & tere, ut ſupra, fortiter ac ſeduliter, tum cum Aqua Calida elue omnem Nigredinem. Impone iterum in priorem Liquorem, & in Vitro eodem ebulli iterum, tere iterum ſtrenue, ac lava. Hoc reitera, uſque dum nullo labore ullum poſſis Colorem ex Amalgamate abſtergere, clareſcet tum Amalgama inſtar puriſſimi Argenti, politiſſimique ſtupendo candore. Ad huc obſerva Temperaturam & cave, quod ſit

 ex-

exquiſita juxta datas Regulas; ſin minus, effice juſtam, & procede ut ſupra. Hoc Opus eſt laborioſum, tamen Laborem compenſatum videbis Signis in Opere apparentibus. Tandem bulli in Aqua pura, decantando ac repetendo, quouſque Salſedo & Acrimonia tota evanuerit; tum Aqua effuſa exſicca Amalgama, quod cito fiet. Ut autem ſecurus valde ſis, (quia nimia Aqua Opus perdet, Vapore ſuo vas, utut magnum, rumpendo) agita ſupra Chartam mundam cum Apice Cultelli, à Loco ad Locum, uſque dum exſiccetur optime, tum procede, ut docebo.

## *Ad Caput XIV. XV. & XVI.*

IN hiſce Tribus Capitibus quædam in Antecedentibus jam dicta ſunt, quædam Clariſſime patent, Nonnulla etiam uberius explicantur in Mineralogia Noſtra ſupra allegata.

## CAPUT XVII.

### *De Vaſis Proportione, Forma, Materia & Clauſura.*

HAbebis Vitrum Ovale & Rotundum, tam magnum ut Aquæ deſtillatæ Unciam unam capiat in ſua Sphæra ad ultimum,

mum, nec ſane minus, ſi poſſis; ſed circa illam menſuram, quam caute poſſis, compara. Habeat Vitrum Collum Palmæ unius Altitudine, eſto Vitrum bene clarum, ſpiſſum, quo ſpiſſius, eo melius, dummodo diſtinguere poſſis in Vitri Concavo Actiones. Ne ſit ſpiſſius in uno quam in alio Loco. Eſto Materia huic Vitro adaptâta Uncia ſemis Auri cum Uncia Una Mercurii, & ſi Triplum Mercurii addideris, adhuc intra Binas Uncias erit totum compoſitum. Eſtque hæc Proportio exquiſita. Porro niſi Vitrum ſit ſpiſſum, in Igne perſeverare non valebit, quia Venti, qui in Vaſe ab Embryone noſtro formantur, Vas diſrumpent. Eſto Vitrum ſigillatum in Summitate tanta cum Diligentia & Cautela, quod nec Fiſſura ſit, nedum Foramen, aliter periret Opus. Sic vides quod Opus in Principiis ſuis Materialibus non excedat Pretium Aureorum Trium. Imo in Aquæ Fabrica Sūmtus unius Libræ vix excedit Coronatos duos. Inſtrumenta, fateor, ſunt nonnulla, illa tamen neutiquam cara, & ſi Meum Inſtrumentum Deſtillatorium habueris, à Vitris fragilibus facile excuſabere. Sunt tamen aliqui, qui ſomniant Imperialis forſan unius Pretium toti Operi inſerviturum, quibus re-

 ſpon-

ſpondere licet, hoc, illos nunquam Opus Experimento perfeciſſe, probare. Alia enim ſunt in Opere neceſſaria, quæ Sumptibus indigent. At inſtabunt hi ex Philoſophis, Omne, quod magno Pretio emitur, in Opere noſtro mendax reperitur. Quibus reſponderem, & quid eſt Opus noſtrum? nempe facere Lapidem? Illud quidem Finale eſt: verum Opus eſt, Humiditatem reperire, in qua Aurum liqueſcit ſicut Glacies in Aqua tepida; hoc reperire eſt Opus noſtrum. In hoc multi inſudant, ut Mercurium Solis, alii, ut Mercurium Lunæ lucrarentur; at fruſtra. Nam in hoc Opere mendax eſt omne, quod caro venditur Pretio. Amen dico, quod hujus Aquæ Principii materialis tantum emi poſſit Pretio unius Floreni, quantum ad duas integras Libras Mercurii animandum ſat ſit, ut fiat verus Sapientum Mercurius. Interim Vaſa Vitrea, Carbones, Vaſa terrea, Furnus, Vaſa atque Inſtrumenta ferrea non poſſunt nihilo comparari. Taceſcant ergo turpes Sophiſtarum Garrulitates, impudenter mentientium, ac Garrulitate ſua plurimos ſeducentium. Abſque perfecto Corpore, Ære Noſtro, nempe Auro, nunquam ulla Tinctura haberi poteſt, eſtque Lapis Noſter

ex

ex uno Latere vilis, immaturus, volatilis, ex altero perfectus, pretioſus & fixus. Quæ duæ Species ſunt Corpus, Aurum, & Spiritus, nempe Argentum Vivum.

## *Ad Caput XVII.*

EXcludit hic omnes Mercurios Lunæ, ſicuti & Solis, cur autem hoc fiat, Philoſophicè ſcrutandum eſt; primo itaq; ſciendum eſt in Uncia una Auri vel Argenti latere 280. vel circiter Partem, quæ eſt Naturæ Fixæ, reliquum eſt Mercurius Communis, per Salia autem Reſuſcitativa, coagulans illud, ſeu illa Eſſentia Fixa, attrahitur in Salia, & reliquum eſt Mercurius Vulgi Mortuus, aliter ſe habet in Mercurio Noſtro, Solis vel Lunæ, ubi Mercurius Philoſophicus, illam Eſſentiam blande extrahit & conſervat, quod alias nulla Res in toto Mundo poteſt efficere.

# CAPUT XVIII.

## *De Furno ſive Athanore Sophico.*

DE Mercurio dictum eſt, ejusque Præparatione, Proportione ac Virtute; de Sulphure item ejuſque Neceſſitate ac Uſu in Opere noſtro; quæ quomodo paranda ſint, monui, quomodo miſcenda, docui; de Vaſe item, in quo ſigillanda, plurima detexi: Quæ omnia cum Grano Salis intelligenda moneo, ne forte literatim procedendo ſæpi-

us errare contingat. Sic enim cum inſolito Candore Philoſophicas Subtilitates texuimus, quod niſi plurimas in præcedentibus Capitulis Metaphoras olfeceris, vix aliquid Meſſis præter Diſpendium colliges. Exempli ergo, ubi ſine ulla Ambiguitate unum Principiorum Mercurium, alterum Solem diximus; unum Venale, alterum Arte fabricandum: Scias Mercurium Noſtrum de ſe Aurum dare, quod ſi non noris, quod ſit Secretorum Noſtrorum Subjectum, oportet ut pro Sole Vulgari vendas; eſtque in omni Examine Sol verus, ac proinde venalis eſt, id eſt, vendi poteſt, cuivis ſine Scrupulo. Sol proinde noſter eſt Vulgo venalis, at non Vulgo emendus, quia ut Noſter ſit, Noſtra opus eſt Arte. Poſſis in Sole Lunaque Vulgaribus Solem Noſtrum reperire; Ego ipſe in his quæſivi ac reperi. At haud Opus eſt facile. Leviori Negotio Lapis ipſe faciendus eſt, quam Lapidis proximam Materiam in Auro vulgariter emendo invenies. Quare Aurum Noſtrum eſt Lapidis Noſtri Materia proxima, Aurum Vulgi propinqua, cætera Metalla remota, eaque quæ non ſunt Metallica, remotiſſima, ſive potius aliena. Quia Aurum Noſtrum eſt Chaos, cujus Anima per Ignem non fugata eſt. Aurum Vulgi

eſt,

eſt, cujus Anima, ut ab ignea Vulcani Tyrannide ſit tuta, in Arcem clauſam ſe recepit. Sed ſi Aurum Noſtrum quæris in Re media, inter Perfectum & Imperfectum, quære & invenies: ſin minus, Repagula Auri Vulgaris ſolve, quæ dicitur Præparatio Prima, qua Incantamentum Corporis ejus ſolvitur, ſine quo Opus Mariti nequit perficere. Si priorem Viam ingreſſus fueris, Igne benigniſſimo procedere teneris; ſin poſteriorem, torridi tum Vulcani Operam implorare debes. Talem, puta, Ignem adhibere oportet, qualem in Multiplicatione ſubminiſtramus, dum Corporalis Solis Lunæve Vulgi Elixiri perficiendo pro Fermento adhibetur. Hic ſane Labyrinthus erit, niſi te quomodo extrices, noris. In quolibet tamen Progreſſu indiges Calore æquali ac continuo, ſive in Sole Vulgari, ſive Noſtro operatus fueris. Utrumque ſcias, quod Sol noſter dabit tibi Opus binis aut ternis Menſibus citius perfectum, quam Aurum Vulgi, eritque Elixir in prima ſua Perfectione Virtutis Millenaris, quod in altero Opere vix Centenariæ erit. Inſuper ſi Opus Sole Noſtro perfeceris, oportet te illum cibare, imbibere, fermentare, &c. quibus Vis ejus creſcet in Immenſum; in alio vero Opere

opor-

oportet te illum illuminare ac incerare, ut abunde in Roſario Magno docetur. Præterea ſi in Sole Noſtro operatus fueris, poſſis calcinare, putrefacere, ac albifacere, Igne benigno intrinſeco adjuvante, cum Tepore rorido extra adminiſtrato. Cum Sole Vulgi ſi operatus fueris, ſublimando ac bulliendo aptanda ſunt Materialia, ut poſtea illa cum Virginis Lacte unire valeas. Utcunque tamen Progreſſum feceris, nil tamen citra Ignem ullatenus poteris efficere. Quare non gratis Hermes veridicus Ignem Soli Lunæque proximum Operis Gubernatorem ſtatuit. Hunc tamen de Furno Noſtro vere ſecreto intelligi vellem, quem Oculus vulgaris vidit nunquam. Eſt tamen & alius Furnus, quem Communem appellamus, qui aut Lateritius, aut ex Luto Figuli erit conflatus, aut ex Lamellis Ferreis Æneisque Luto bene loricatis. Hunc Furnum Athanor appellamus, cujus Forma mihi magis arridens Turris cum Nido. Quare eſto Turris trium circiter Pedum Altitudinis, lata novem Digitos, ſeu Spithamam communem; poſt Soleam Stratumve fundamentale eſto Oſtiolum pro expurgandis Cineribus trium quatuorve Digitorum undiquaque cum Lapide adaptato, ſupra quod ſta-

tim

tim Craticula ſtatuatur ; paulo à Crate ſuperne Foramina ſunto bina, duorum circiter Digitorum, per quæ Calor in appoſitum Athanor emittatur. Cæterum eſto Turris exacte à Rimis clauſa ; ſuperne vero immittendi ſunt Carbones, qui accenſi primo, dein alii injiciantur, tum demum Os exacte obturetur. Tali Furno Opus pro Animi Voto poſſis complere. Cæterum ſi Curioſus fueris, aliam atque aliam Viam reperire poſſis, Ignem debitum adminiſtrandi. Fiat ergo Athanor in hunc Modum, ut in eo poſt impoſitam Materiam ſine Vitri Amotione quemvis Caloris Gradum adhibere poſſis, pro Voto à Calore Febrili ad Ignem uſque Reverberii minoris, inque intenſiſſimo ſuo Gradu per ſe duret per Horas ad minus Decem aut Duodecim. Tum patet tibi Operis Janua. Verum cum Lapide jam potitus es, poſſis utilius Furnum Portatilem confingere, quia minori Tempore ac Benigniore Naturæ Igne Lapis ſemel factus multiplicatur.

## *Ad Caput XVIII.*

HOc Caput docet Aurum Philoſophicum poſſe haberi ſine Sole vel Luna; ſi enim quis in Mercurio Philoſophico volatiliſaverit Venerem

Martia-

Martialem, ſola Digeſtione habebit Aurum, quod in Reductione Pulveris ſeipſum figentis venditur; eſt enim Aurum in omni Examine Permanens, unde hoc Aurum quærendum eſt, inter Perfectum & Imperfectum, uti ſunt Metalla, nec enim ſunt Perfecta, nec Imperfecta totaliter, & hic dicitur Furnus internus, qui Materiam intrinſecè digerit, eſt & alius Furnus, Lateribus, qui Athanor dicitur pro Regimine Ignis externo neceſſarius.

## CAPUT XIX.

### *De Operis Progreſſu per Primos Dies Quadraginta.*

PArato Mercurio Noſtro ac Sole Noſtro include ea Vaſi Noſtro, ac rege Igne Noſtro, ac intra Dies Quadraginta videbis totam Materiam in Umbram converſam, id eſt, in Atomos, ſine ullo Motore aut Motu viſibili, aut ullo Calore Tactu deprehenſibili, niſi quod caleſcat. Verum ſi Solis Noſtri Mercuriique Noſtri Myſterium te hactenus lateat, tolle Manum ab Opere; nam nil niſi Diſpendium te manet. Sin autem Myſterium Solis Noſtri nondum in Latitudine ſua noveris, at Mercurii Noſtri Scientiam es adeptus, tum cape Solis Vulgi Partem unam bene purificatam, & Mercurii Noſtri ſumme lucidi Partes tres, junge, ut ſuperius

tius dictum eſt, & impone Igni, dando Calorem, in quo bulliat, ſudetque, Sudorque ejus circuletur, & hoc de Die ac Nocte per Dies Noctesque Nonaginta, & videbis Mercurium hunc omnia Elementa Solis Vulgi disgregaſſe iterumq; conjunxiſſe, bulli poſtea per Dies alios Quinquaginta, & videbis Solem Vulgi per Mercurium Noſtrum conversum in Solem Noſtrum, qui eſt Medicina Primi Ordinis. Eſt ergo Sulphur hoc jam Noſtrum, at nondum tinget. Et crede mihi, hac Via operati ſunt plurimi Philoſophi, & verum aſſecuti ſunt; eſtq; Via tædioſa valde, eſtque pro Magnatibus Terræ, quia nacto hoc Sulphure ne credas te habere Lapidem at ejus verã Materiam, quam poſſis in Re imperfecta intra Septimanam quærere & reperire. Hæc eſt Via Noſtra, facilis & rara, & reſervavit hanc DEUS pro Pauperibus & Contemptis, abjectisque Suis Sanctis. Hac de Re multa jam Verba facere decrevi, licet in Libri hujus Initio decreveram alto ſepelire Silentio. Hoc eſt unum magnum Sophiſma omnium Adeptorum, loquuntur quidam de Auro Argentoque Vulgi, & verum dicunt; negantque alii idem, & Verum dicunt. Ego Charitate commotus, Manum jam porrigam, jamque omnes appello Adeptos, eosque omnes Invidiæ inſimulo. Ego quoque

E de-

decreveram eandem Invidiæ ſemitam calcare, niſi quod DEUS Nos præter Noſtrum Conſilium diſtorſit, cui ſit æterna Sanctificatio! Dico ergo, quod utraque Via eſt vera, quia Via eſt tantum una in Fine: at non in Principio. Quia totum eſt in Mercurio Noſtro & Sole Noſtro. Mercurius Noſter eſt Via Noſtra, & ſine eo nihil fiet. Sol quoque Noſter non eſt Aurum Vulgi, & tamen in eo eſt. Et ſi operatus fueris in Mercurio Noſtro cum Auro Vulgi, Regimine debito, ex iis Centum & Quinquaginta Diebus habebis Aurum Noſtrum, quia Sol Noſter eſt ex Mercurio Noſtro. Quare ſi Aurum Vulgi fuerit per Mercurium Noſtrum in Elementa ſua diſgregatum, iterumque conjunctum, tota Mixtura Ignis Beneficio erit Aurum Noſtrum, quod Aurum ſi deinde per Mercurium iterato decoquatur, dabit pro certo omnia Signa deſcripta à Philoſophis tali Igne, quali ipſi ſcripſerunt. Jam vero ſi Decoctioni Solis Vulgi, utut puriſſimi, cum Mercurio Noſtro Regimen Lapidis adhibueris, in Erroris Via es pro certo: Et hic magnus eſt ille Labyrinthus, in quo Tyrones fere omnes hærent, quia Philoſophi in Libris ſuis de utraque Via ſcribunt, quæ revera non ſunt niſi Via Una, niſi quod una ſit

dire-

directa magis, quam altera. Qui ergo ſcribunt de Sole Vulgi, prout nos in hoc Tractatulo, uti quoque Artephius, Flamellus, Riplæus cæterique multi, non aliter ſumus intelligendi, quam ut Sol Philoſophicus ex Sole Vulgi & Mercurio Noſtro fiat, qui dein per reiteratam Liquefactionem dabit Sulphur & Argentum Vivum fixum, incombuſtibile, & in Examine omni tingens. Pariter & per hunc intelligendi Modum Lapis Noſter eſt in omni Metallo ac Minerali, quia, puta, Sol Vulgi ex ipſis extrahi poſſit, ex quo Sol Noſter propinquus peti poſſit. In omnibus, puta, Metallis Vulgi, Sol Noſter; at in Auro, Argentoque propinquius continetur. Ergo, inquit Flamellus, quidam in Jove, alii in Saturno laborarunt, ego vero, *inquit*, in Sole elaboravi & reperi. Eſt tamen UNUM in Regno Metallico, Originis miræ, in quo Sol Noſter propinquius eſt, quam in Sole & Luna Vulgi, ſi in Hora ſuæ Nativitatis eum quæras, qui in Mercurio Noſtro liqueſcit, ſicut Glacies in Aqua tepida; & tamen Auro quodammodo aſſimilatur. Tu hoc in Sole Vulgi immediate non invenies, at ex illo per Mercurium Noſtrum, digerendo per Dies Centum & Quinquaginta, invenies veram hanc, eandemque

Materiam, quæ eſt Aurum Noſtrum, Via longiori quæſitum, nec adhuc tam pollens, ac illud quod Natura ad Manus reliquit. Et tamen tertio rotando Rotam, idem in utroque invenies, hac tamen cum Differentia, in Priori Menſibus Septem, in Poſteriori Anni Spatio cum Dimidio. Ego utramque Viam calleo, laudo tamen faciliorem Viam, at difficiliorem deſcripſi, ne omnium Sophorum Anathema in Caput meum traherem. Scias proinde, quod hæc ſola ſit Difficultas in Libris candidiorum Hominum legendis, quod omnes ad Unum variant Regimen. Et cum de Uno Opere loquuntur, alterius Regimen docent, qua Reticula irretitus diu hæſi, antequam è Laqueo Pedes liberare poteram. Notifico proinde, quod Calor in Opere Noſtro ſit Naturæ benigniſſimus, ſi modo Opus Noſtrum recte intelligas. At ſi in Sole Vulgi opereris, illud Opus proprie non eſt Opus Noſtrum, & tamen ad Opus Noſtrum recta ducet, determinato ſuo Tempore. In illo vero forti indiges Decoctione, Igneque proportionato, poſtea vero benigniſſimo Igne progrediere, Athanore Turrali noſtro, qui mihi ſumme laudandus eſt. Quare ſi cum Sole Vulgi fueris operatus, cave ut Veneris Connubia ſollicite compares,

pares, deinde Thoro ſuo impone, Igneque debito videbis Emblema Operis Magni, nempe Nigrum, Caudam Pavonis, Album, Citrinum Rubeumque. Tum reitera Opus hoc cum Mercurio, qui Lac Virginis dicitur, adhibendo Ignem Balnei Roris, atque ad ſummum Arenæ temperatæ cum Cineribus: videbisque tum non Nigrum ſolum, at Nigrum Nigrius Nigro, omnemque Nigredinem, ſic & Album & Rubeum completum, & hoc Nutu DEI in Aura leni, qui Voce tacita Eliam compellavit. Ea propter ſi Artem noris, extrahe Solem Noſtrum ex Mercurio Noſtro, tum ex Una Re Opus perficies, quod, crede mihi, omni Perfectione mundana eſt perfectius, juxta Philoſophum: Si ex Mercurio ſolo, *inquit*, Opus poteris perficere, pretioſiſſimi utique Operis Indagator eris. In hoc Opere nullæ ſunt Superfluitates; at totum, per Deum viventem, in Puritatem converſum eſt, quia Actio fit in uno ſolo. At ſi in Opere Solis Vulgi Proceſſum inceperis, Actio tum Paſſioque fit in Re bina, quarum utriusque Media Subſtantia ſola capitur, rejectis Fæcibus. Si hæc, quæ brevibus abſolvi, alte mediteris, Clavem omnes Contradictiones apparentes inter Philoſophos reſerandi habes. Quare

Riplæus docet Rotam Tertio rotare in Capite Calcinationis, ubi de Sole Vulgi expreſſe loquitur, atque ita intelligendus eſt. In Doctrina Proportionum ſuarum obſcurus eſt valde, quia tres illæ Proportiones tribus Operibus inſerviunt. Unum Opus eſt ſecretiſſimum, purumque naturale, & fit in Mercurio Noſtro cum Sole Noſtro, cui Operi adſcribenda ſunt omnia Signa à Sophis deſcripta. Hoc Opus nec fit igne, nec Manibus; at ſolo interno Calore, eſtque Calor externus, ſolum Frigus expellens, ejusque Symptomata vincens. Alterum Opus eſt in Sole purgato cum Mercurio Noſtro, quod fit Igne candenti, per Tempus longum, in quo utrumque decoquitur, mediante Venere, uſque dum purior utriusque Subſtantia exprimatur, qui eſt Lunariæ Succus. Hic abjectis Fæcibus eſt capiendus, eſt enim nondum Lapis, at Sulphur Noſtrum verum, qui demum cum Mercurio Noſtro, Sanguine ſuo appropriato, decoquendus eſt in Lapidem Ignis, ſumme penetrantem ac tingentem. Tertio tandem eſt Opus mixtum, cum Aurum Vulgi cum Mercurio Noſtro miſcetur Pondere debito, additurque Sulphuris Noſtri Fermentum, quantum ſat ſit. Tum complentur omnia Mundi Miracula, fitque Eli-

xir

xir potens tam ad Opes quam ad Sanitatem. Sulphur ergo Noſtrum omnibus cum Viribus quære, quod, crede mihi, in Mercurio Noſtro colliges, ſi te Fata vocant. Sin minus, in Sole Vulgi debito Calore atque Tempore idem parabis; at eſt Via mille Spinis obſita, & nos vovimus Deo & Æquitati, quod nudis Verbis nunquam declarabimus Regimen utrumque diſtinctim. Nam ſub Fide Bona juro, quod Verum detexerim. In Mercurio, quem deſcripſi, ac Sole puriſſimo Vulgi ſi laboraveris debito Igne, Solem Noſtrum invenies intra Menſes Septem aut Novem ad ſummum, Lunamque Noſtram intra Menſes Quinque. Et hi ſunt veri Termini ad complenda Sulphura hæc, quæ ſi tum credideris Lapides Noſtros, adhuc erras. At ex his reiterato Labore, cum Igne ſaltem ſenſibili, verum Elixirem habebis, & hoc totum intra Annum cum Dimidio, DEO dante, Cui Gloria in Seculum.

## *Ad Caput XIX.*

SCiendum eſt duplicem dari Mercurium, primum qui acuatus eſt per Regulum, alterum qui acuatus, alia quoque Metalla in ſe continet, quæ ſola Digeſtione tranſeunt in Solem noſtrum, de his Viis tractatur in hoc Capite, ubi imprimis acci-

pitur Aurum, factum ex ſolo Mercurio, conjungitur denuo Mercurio Animato Metallorum, poſt dies 40. totum figitur & eſt Tinctura, qui autem non novit hunc Modum procedendi, id eſt, facere Mineras Philoſophicas, ut ex his Aurum Noſtrum acquirat, oportet eum accipere Mercurium Primi Ordinis, ſeu Mercurium illum præciſe per Regulum Animatum, & cum Auro Communi conjungere, intra Annum & Medium abſolvet Opus, eſt autem hæc Via tædioſa ac ſalebroſa iſtis, qui ſimpliciter in ſuum Commodum feruntur, non Proximi Utilitatem quærunt, contra iis commendanda hæc Via eſt, qui Opibus abundant; hæc, inquam, Via apud ejusmodi Homines valet; alii enim antequam ad Finem perveniant, millies deſperabunt, quia non Scientiam ſed Divitias quærunt, quæ equidem certo ſunt ſubſecuturæ, habita Patientia Viæ longioris; Cæterum alia Via eſt quæ Probis, Sanctis, Humilibus, Deum timentibus panditur, qui non ſolum utilitatem ſui, ſed Univerſorum quærunt, in qua Operatione Præparato Mercurio, fit intra 8. Dies, Fixio in Solem Noſtrum.

# CAPUT XX.

## *De Adventu Nigredinis in Opere Solis & Lunæ.*

SI in Sole Lunaque operatus fueris, ut in his Sulphur Noſtrum quæras, conſidera, ſi Materiam tuam inſtar Paſtæ turgidam, in-

ſtar

ſtar Aquæ bullientem, ſeu potius Picis liquidæ conſpexeris. Quia Sol Noſter, Mercuriusque Noſter, Emblematicum Typum habet in Opere Solis Vulgi cum Mercurio Noſtro. Accenſo Furno expecta in Calore bulliente per Dies Viginti, quo Tempore Varios Colores obſervabis; at circa Finem Septimanæ quartæ, ſi modo Calor fuerit continuus, Viredinem amabilem videbis, quæ per Dies decem aut circiter non diſparebit. Gaude tum, quia pro certo Totum brevi inſtar Carbonis Nigrum cernes, eruntque omnia Membra Compoſiti tui in Atomos redacta. Eſt enim hæc Operatio nil aliud, quam Reſolutio Fixi in non Fixo, ut utrumque poſtea conjunctum Unam Materiam efficiat partim Spiritualem, partimque Corporalem. Quare ait Philoſophus: Accipe Canem Coraſcenum, ac Caniculam Armeniæ, junge ſimul, tibique gignent Filium Coloris Cœli. Quia hæ Naturæ brevi Decoctione vertentur in Brodium inſtar Spumæ Maris, aut Nebulæ craſſioris, quæ livido Colore tingetur. Et juro tibi ſub Fide bona, quod nil occultarim præter Regimen; hoc autem, ſi prudens fueris, ex Verbis meis facillime colliges. Cognito autem Regimine, arripe Lapidem ſuperius demon-

 ſtra-

ſtratum, ac rege, uti ſcis, & ſequentur hæc Notabilia. Primo, quam cito Lapis ſenſerit Ignem ſuum, fluet Sulphur ac Mercurius ſimul ſuper Igne inſtar Ceræ, & comburetur Sulphur, Coloreſque de Die in Diem mutabit, ac Mercurius incombuſtibilis erit, niſi quod Coloribus Sulphuris tingetur ad Tempus; at non inficietur, ideoque Latonem penitus lavabit à cunctis ſuis Sordibus. Reitera Cœlum ſupra Terram toties, uſque dum Terra conceperit Naturam cœleſtem. O Sancta Natura! quæ ſola facis, quod omni penitus Homini eſt impoſſibile. Eapropter cum in Vitro tuo conſpexeris Naturas inſimul miſceri, ad inſtar Sanguinis coagulati & combuſti, ratum eſto, Fœminam Maris amplexum paſſam eſſe. Quare à Prima Materiæ tuæ Exſiccatione intra Dies ſeptendecim exſpecta, quod duæ Naturæ in Brodium ſaginatum convertentur, quæ ſimul circumvolventur inſtar Nebulæ craſſioris, aut Spumæ Maris, uti dictum eſt, cujus Color erit obſcurus valde. Tunc conceptam Prolem Regiam firmiter tene, quia exinde Vapores virentes, flavos, atros ac cæruleos in Igne & ad Vaſis Latera adſpicies. Hi ſunt Venti, qui in formando Embryone Noſtro ſunt frequentes, qui retinendi ſunt caute, ne fugi-

fugiant, & annihiletur Opus. Odori quoque cave, ne forte per Rimam ullam exhalet, quia Vis Lapidis inde notabile Detrimentum pateretur. Quare Philoſophus Vas cum Ligatura ſua ſervandum caute jubet, & monitus ſis, ne ab Opere ceſſes, aut Vas moveas, aut aperias, aut Decoctionem ullo Tempore intermittas, at pergas decoquendo, uſque dum deficere Humorem conſpexeris, quod fiet intra Dies triginta, tum gaude, ac rectam te Viam inceſſiſſe certus eſto. Invigila tum Operi, quia intra Septimanas forte Binas ab eo Tempore totam Terram ſiccam videbis, atque inſigniter nigram. Tum Mors Compoſiti adeſt, Venti ceſſarunt, cunctaque ſe Quieti dederunt. Hæc eſt magna illa Eclipſis Solis & Lunæ ſimul, in qua Luminare nullum ſuper Terras lucebit, & Mare diſparebit. Chaos tum Noſtrum conficitur, ex quo, jubente DEO, cuncta Mundi Miracula Ordine ſuo emergent.

## *Ad Caput XX.*

HOc Capite exponitur Via Longa cum ſuis Coloribus, ubi Aurum cum Mercurio, ſeu Canis Coraſcenus cum Canicula Armeniæ jungantur, & Vaſi Sigillato imponuntur ad Digeſtionem.

CA-

# CAPUT XXI.

## *De Florum Combuſtione ejusque Cautione.*

ERror non levis, & tamen facile commiſſus eſt, Florum Combuſtio, antequam Naturæ teneræ à ſua Profunditate bene extrahantur. Error hic poſt Septimanam tertiam præcipue cavendus eſt. Principio namque tanta eſt Humoris Copia, quod ſi Opus validiori, quam par eſt, Igne rexeris, Vas fragile Ventorum Copiam non feret, quin ſtatim diſſiliat: ni forte Magnum nimis ſit Vas tuum. Et tum quidem in tantum ſpargetur Humor, quod in Corpus ſuum non amplius redibit, ſaltem non quantum ipſi refocillando ſat ſit. Verum cum Terra Aquæ ſuæ Partem retinere cœperit, tum ſane deficientibus Vaporibus Ignis ſupra modum ſine ullo Vaſis Incommodo intendi valet, at Opus ideo corrumpetur, dabitque Colorem Papaveris Sylveſtris, fietque totum tandem Compoſitum Pulvis ſiccus, inutiliter rubificatus. Judicabis hoc Signo juſto validiorem fuiſſe Ignem, tantum nempe, qui Conjunctioni veræ Inimicus fuit. Scias namque Opus Noſtrum veram Naturarum Muta-

Mutationem requirere, quæ non poſſit fieri, niſi Unio fiat ultima utriusque Naturæ; at non uniri poſſunt, niſi in Forma Aquæ. Nam Corporum non eſt Unio; at ſaltem Contuſio, nedum Corporis cum Spiritu eſſe poteſt Unio per Minima; at Spiritus inter ſe bene poterunt uniri. Quare Aqua Homogenea Metallica requiritur, cui Via per præviam Calcinationem paratur. Hæc ergo Exſiccatio non vere eſt Exſiccatio; at Aquæ cum Terra per Cribrum Naturæ redactio in Atomos ſubtiliores, quam fert Aquæ Exigentia, quo Terra Aquæ Fermentum transmutativum accipiat. Vehementiori vero, quam par eſt, Calore Spiritualis hæc Natura Malleo quaſi Mortis percuſſa, de Activo fit Paſſivum, de Spirituali fit Corporale, nempe Præcipitatum Rubrum inutile, quia in debito ſuo Calore Color fit Corvinæ Nigredinis, qui licet Ater, at ſumme optandus Color eſt. Rubedo tamen in Operis veri Initio eſt conſpicua, eaque inſignis; hæc tamen cum Humoris debita Copia concurrit, monſtratque Cœlum cum Terra concubuiſſe, Ignemque Naturæ concepiſſe, ideoque totum Vitri concavum Aureo tingetur Colore; at Color hic non durabit; at Viridem brevi gignet, tum Nigrum intra Tem-

pus exiguum expecta, & patiens ſi fueris, Votum videbis. Saltem feſtina lente, & tamen Ignem ſat validum continua, interque Scyllam & Charybdin, ut Nauclerus peritus, Navem tuam dirige, ſi Indiæ Utriusque Opes lucrari cupias. Interdum Inſulas quaſi exiguas, Spicas ac Umbellas diſcoloratas emittentes in Undis & ad Latera conſpicies, quæ brevi diſſolventur, aliæque aſſurgent. Terra enim germinandi avida aliquid ſemper fabricat, interdum Aves aut Beſtias Reptiliaque te in Vitro conſpicere imaginabere, Coloresque viſus jucundos ac Momenti levis. Totum eſt, ut Ignem debitum jugiter continues, omniaque hæc in Colore nigerrimo, Pulvere diſcontinuo ante Dies Quinquaginta finientur. Sin minus, aut Mercurium tuum, aut Regimen, aut Materiæ Diſpoſitionem culpabis, ni forte Vitrum moveris aut agitaveris, quod Opus facile protrahet, aut etiam finaliter perdet.

## *Ad Caput XXI.*

NOtanda hæc ſunt de Ignis Regimine, ſcilicet ne Ignis nimium intendatur, quia Materia Digeſtioni impoſita, per Calorem Violentum corrumperetur & tranſiret in Formam Pulveris Rubri, hoc eſſet facere Coagulationem ante Solutionem, quod

præ-

præcavendum eſt, debet enim Corpus Auri per Digeſtionem prius reſolvi in Mercurio, quo reſoluto poſtmodum coagulatur Mercurius.

## CAPUT XXII.

### *Regimen Saturni, quid & unde dicatur.*

QUotquot de hoc Labore Sophico ſcriptitarunt Magi, de Opere & Regimine Saturni locuti fuere, quos perperam nonnulli intelligentes ad varios Errores diverſi ſunt, & propria ſeſe Opinione fefellerunt. Quidam hinc abducti in Plumbo, Spe maxima, at Fructu minimo, ſunt operati. At ſcias Plumbum Noſtrum eſſe Auro quovis dignius. Eſt Limus, in quo Auri Anima cum Mercurio jungitur, ut poſtea Adamum ejusque Evam Uxorem producant. Quare cum Summum ſe hic humiliaverit, ut fiat Infimum, expectandum omnium ſuorum Fratrum in Sanguine ſuo Redemtionem. Tumulus ergo, in quo Rex Noſter ſepelitur, Saturnus in Opere Noſtro dicitur, eſtque Clavis Nummorum Artis. Felicem illum, qui hunc Planetam Tardambulonem ſalutare poſſit. Deum roga Frater, ut hac Te Benedictione dignetur, quia non eſt ex Currente;

te;

te, nedum ex volente, at à Patre Luminum ſolo hæc Benedictio dependet.

## *Ad Caput XXII.*

HOc Capite complectitur Viam Breviorem, nimirum ſi accipiatur Saturnus, qui fit ex Antimonio, & fiat inde Minera Philoſophica, facili negotio & Tempore Aurum reſolvetur, quam aliàs fieri aſſolet in Via Longa.

## CAPUT XXIII.

### *De diverſis Operis hujus Regiminibus.*

PRo certo confidas, Studioſe Tyro, nil in toto Lapidis Opere celatum eſſe præter Regimen, de quo verum eſt illud Philoſophi: Quicunque illud ſcientifice cognorit, Principes & Magnates Terræ illum honorabunt. Et juro tibi ſub bona Fide, quod ſi hoc ſolum proponeretur palam, Stulti ipſi Artem riderent. Eo namque cognito, totum nil aliud eſt, quam Opus Mulierum, Ludusque Puerorum, hoc eſt, decoquere. Ideo ſumma Arte Sophi hoc Secretum occultarunt, & firmiter credas, nos fundamentaliter idem feciſſe, tamen ex quo Candorem propoſui in hoc Tractatulo, ac promiſi, aliquod ſaltem faci-

faciendum incumbit, ne Lectorum ingenioſorum Spem atque Labores fallam. Quare ſcias, Regimen Noſtrum eſſe in toto Opere Unũ Lineare, hoc eſt Decoquere & Digererere, & tamen unum hoc Regimen multa alia in ſe complectitur, quæ Invidi ſub Nominum diverſitate celarunt, & quaſi varias Operationes deſcripſerunt. Nos, polliciti Candoris ergo Manifeſtationem longe perſpicuiorem faciemus, id quod inſolitum Noſtrum hac in Re Candorem fatebere.

## CAPUT XXIV.

### *De Primo Operis Regimine, quod eſt Mercurii.*

AC Primo ſane de Mercurii Regimine Verba faciemus, quod eſt Secretum à cunctis Sophis nunquam expreſſum. Illi, puta, à Secundo Opere ſeu Saturni Regimine inceperunt, nullamque Lucem Tyroni ante Capitale Nigredinis Signum patefecerunt. In hoc ſubticuit Bonus ille Vir Comes Bernhardus à Trevis, qui in Parabola ſua docet, quod Rex cum ad Fontem venit, relictis omnibus Extraneis, Balneum Solus intrat, indutus Veſte Aurea, quam exuit & Saturno tradit, à quo Holoſericam Ni-

gram accipit. At non docet, quo Spatio Veſtis illa Aurea exuitur, ideoque unum totum ſubticet Regimen Dierum forte Quadraginta, aut etiam aliquando Quinquaginta, quo Tempore ſine Duce miſeri Tyrones incertis incumbunt Experimentis. A Nigredinis Adventu ad Operis Finem ſat recreant Artificem quotidie nova apparentia Signa; at hic ſine Duce Signove aut Vade per Dies Quinquaginta vagari tædioſum fateor. Dico itaque, à Prima Ignitione ad usque Nigredinem totum Intervallum Temporis Mercurii Regimen eſt; Mercurii, inquam, Sophici, qui ſolus per totum illud Tempus operatur, Compari ſuo ad conveniens Temporis Spatium mortuo manente, & hoc ante Me detexit Nullus. Quare conjunctis Materialibus, quæ ſunt Sol atque Mercurius Noſter, noli cum Alchymiſtarum Vulgo credere Solis Occaſum brevi accidere. Non ſane. Multum diuque expectavimus, antequam facta eſt Patientia inter Aquam & Ignem, & hoc Invidi ſub Breviloquio comprehenderunt, dum Materiam ſuam in Primo Opere *Rebis* nominaverunt, id eſt, Rem ex Re Bina confectam, juxta Poëtam:

*Res*

*Res Rebis eſt bina conjuncta, ſed tamen una,*
*Solvitur ut prima ſint aut Sol aut Spermata Luna.*

Pro certo itaque ſcias, quod licet Mercurius Noſter Solem devoret, non tamen eo modo, quo putant Chemici Philoſophaſtri. Quia etſi Solem cum Mercurio Noſtro conjunxeris, eundem poſt Anni Expectationem ſoſpitem ac priſtinæ Virtutis compotem inde recuperabis, niſi in convenienti Ignis Gradu eum decoxeris. Qui contrarium aſſeverat, non eſt Philoſophus. Putant, qui in Erroris Via ſunt, tam Levis eſſe Negotii Corpora ſolvere, quod immerſum Aurum Mercurio Sophico Ictu Oculi devorandum autumant, male intelligentes Locum illum Comitis Bernhardi à Trevis, de Libro ſuo Aureo in Fontinam irrecuperabiliter immerſo. Verum quam Grave ſit Opus Corpora ſolvere, atteſtari poſſunt ii, qui Diſſolutioni inſudarunt. Ipſe ergo, qui hæc ſæpius oculari ſum edoctus Teſtimonio, atteſtor, quod ingenioſum ſit valde Ignem regere poſt Materiam paratam, qui debite ſine Combuſtione Tincturarum Corpora ſolveret. Attende proinde Doctrinæ meæ, ſume Corpus quod demonſtravi, atque imponito in Aquam Noſtri Maris, ac jugiter Igne debito decoque, ut aſcendant Ros & Nebulæ, recidantque

Guttæ de Die ac Nocte citra intermiſſionem. Et ſcias, quod hac Circulatione aſcendit Mercurius in priſtina ſua Natura, relinquitur Corpus inferius in priſtina ſua Natura, donec longo Tempore Corpus aliquid Aquæ retinere cœperit, atque ſic utrumque utriusque Gradibus participat. Quia vero tota Aqua non aſcendit per Sublimationem, at Pars ejus deorſum cum Corpore manet in Vaſis Fundo, idcirco vigilanti cum Aſſiduitate corpus in Aqua ſubſidente ebullitur atque cribratur, ejusque Medio recidentes Guttæ reſiduam Maſſam perforant, ac Circulatione aſſidua ſubtilior facta Aqua, tandem Solis Animam blande ac ſuaviter extrahit: ſic mediante Anima Spiritus cum Corpore reconciliatur, fitque utriusque Unio in Colore Nigro, & hoc ad ſummum Diebus Quinquaginta, diciturque hæc Operatio Mercurii Regimen, quia Mercurius circulatur ſurſum, & in eo ebullitur Corpus Solis deorſum, eſtque Corpus in hoc Opere Paſſivum, ad usque apparitionem Colorum, qui parce circa Diem Vigeſimum apparent in bona ac continua Ebullitione, qui Colores deinceps augentur ac multiplicantur, ac variantur ad usque Complementum in Nigre-

gre-

gredine Nigerrima, quam Dies tibi dabit Quinquageſimus, ſi te Fata vocant.

## *Ad Caput XXIII. & XXIV.*

IN hiſce Tredecim Capitibus ſubſequentibus Omnia patent clariſſime; nihilominus tamen ad hæc duo Capita, nempe de Igne & ejus Regimine, item de Solutione legi merentur: Baſilius Valentinus pag. 59. 84. 147. 148. 169. Item Theophraſtus Paracelſus, part. 3. p. 771. Theatrum Chymicum Volumine II. pag. 284. ſeq. Volumine III. p. 274. 851. Volumine IV. pag. 742. 766. Philalethæ Erklärung der Sechs Pforten Riplæi à pag. 161. uſque ad p. 168. 229. 274. uſque 284. Hermetiſcher Roſenkrantz p. 34. 35. Prugmayer de Elixire Vitæ p. 128. 109. 131. Waſſerſtein der Weyſen p. 43. 99. 143. 36. 117. 37. Aquila Thuringiaca p. 9. 10. 14. Cocheim p. 64. Flamelli Kleynod p. 47. 48. 49. 42. 53. 54. Iſaacus Hollandus Hand der Philoſophen p. 85, 186, 189. ſeq. Joh. de Monte Snyders Medicina Univerſali p. 36. 37. 121. 151. 149. 175. 122. 43. Amelung p. 65. 69. 70. Dienheim Chymiſche Fackel 180. ſeq. Philalethæ Lumen de Lumine p. 68. ſeq. Radix Chymiæ p. 81. 83. 84. 98. 99. 64. Figuli Roſarium Olympicum p. m. 60. 44. 45. 63. uſque 66. 67. uſque 70. Walchii Kleiner Bauer p. 348. 349. 350. 351. 366. 276. 280. 281. Großſchädels Trifolium Hermeticum p. 113. 114. 48. Gloria Mundi p. m. 95. ſeq. 136. ſeq. Nodus Sophicus Enodatus p. m. 78. ſeq. 83. 84. Morley Collectanea Chymica p. m. 9. 10. Von Suchten

p. 10. Batsdorf Filum Ariadnes p. 124. ſeq. 128. Johann. de Padua Sapientia Conſummata p. 155. ſeq. Reſchens Oſiandriſche Experiment, p. 104. 105. 106. 182. 184. 175. 176. Arca Hermetis Philoſophica p. 47. 54. 61. 64. Michael Mayerus in Symb. Aur. Menſ. p. 423. Eckhards Entlauffener Chymicus p. 290. 970. 971. ſeq. 1002. 1003. 1004. &c.

De Solutione vero Philoſophica videantur Lucæ Rodargiri Eutopenſis Tractatus, appellatus Piſces Zodiaci Inferioris, & quidem per Viginti Octo Capita, & Volumini Quinto Theatri Chymici inſertus. Nec non Gebri Alchymi-Schatz p. 100. Joh. de Monte Snyders, M. U. p. 36. 37. 77. 150. 31. ſeq. 123. 124. 155. 45. 101. 154. Prugmayer de Elixire Vitæ p. 112. 113. Aquila Thuringiaca p. 1. 31. Dienheim Chymiſche Fackel p. 118. Radix Chymiæ p. 69. 140. 67. Gloria Mundi p. 47. Flamellus p 83. 84. 7. 6. Amelung p. 84. 87. 88. Edoardus Kellæus p. 159. 160. 137. Phœnix Adropicus p. 73. Baſilius Valentinus p. 248. Iſaacus Hollandus de Lapide Philoſophico p. 37. 185. 167. 168. Walchii Kleiner Bauer/ p. 131. 132. 130. Morley Collectanea Chymica p. 20. 4. 5. 7. 13. Cocheim p. 13. 14. Figuli Roſarium Olympicum p. 87. 88. 90. 80. Iſaacus Hollandus Hand der Philoſophen/ p. 94. 244. 21. 118. Roſarium p. 37. 41. Theatrum Chymicum Volumine III. p. 762. Mercurii Schlangenſtab p. 15. 25. Reſchens Experiment p. 89. 115. Eckhards Entlauffener Chymicus p. 68. Kunckels Philoſophia Chymica p. 313. &c.

CA-

# CAPUT XXV.

## *De Secundo Operis Regimine, quod eſt Saturni.*

PEracto Regimine Mercurii, cujus Opus eſt Regem Veſtibus ſuis Aureis ſpoliare, Leonem Conflictibus variis agitare atque laceſſere ad extremam uſque Laſſitudinem, proximum apparet Saturni Regimen. Vult enim DEUS, ut inceptum Opus ad debitum Finem perducatur, eſtque Scenæ hujus hæc Lex, quod Exitus unius ſit Introitus alterius, Finis Unius, Origo Alterius, nec citius Mercurii Regimen obſoleſcit, quin Succeſſor ſibi ingrediatur Saturnus, qui Imperium Succeſſionis Jure obtinuit. Moriente Leone, naſcitur Corvus. Eſtque Lineare admodum hoc Regimen reſpectu Caloris, quia unicus tantum eſt Color, isque Aterrimus; at Fumi nulli, nec Venti, nec Vitæ Symbolum, ſaltem aliquando ſiccatum, nonnunquam inſtar Picis liquidæ ebulliens, compoſitum conſpicitur. O triſte Spectaculum & Mortis Æternæ Imago, at Artifici dulce Nuntium! Nigredo enim non quævis, at reſplendens præ intenſiſſima Nigredine conſpicitur. Cumque inſtar Paſtæ turgen-

tem Materiam deorſum aſpexeris, gaude: nam Spiritum intus clauſum Vivificum ſcias, qui ſtatuto Tempore ab Omnipotente Vitam hiſce Cadaveribus reddet. Cave tu ſaltem Igni, quem ſano cum Judicio hic regere teneris, & juro tibi ſub Fide bona, quod ſi urgendo Ignem in hoc Regimine quicquam ſublimare feceris, Opus totum irrecuperabiliter perdes. Contentus proinde eſto, cum Treviſano bono in Carcere per Dies Noctesque Quadraginta detineri ac teneram Materiam in Fundo, qui Nidus eſt Conceptionis, manere permitte, pro certo confiſus, quod peracta Periodo ab Omnipotente huic Operationi ſtatuta Spiritus reſurget glorioſus, Corpusque ſuum glorificabit, aſcendet, inquam, ac circulabitur ſuaviter & ſine violentia, & à Centro ad Cœlos aſcendet, iterumque à Cœlis ad Centrum deſcendet, Vimque arripiet Superiorum & Inferiorum.

## CAPUT XXVI.

### *De Regimine Jovis.*

SAturno Nigro ſuccedit Jupiter, qui diverſo Colore eſt. Nam poſt debitam putredinem & Conceptionem factam in

Vaſis Fundo, jubente DEO, Colores mutabiles ac Sublimationem circulantem iterum videbis. Durabile non eſt hoc Regimen, nec ultra Tres Septimanas durat. Hoc Tempore omnes Colores imaginabiles apparebunt, de quibus certa nulla Ratio reddi poteſt. Imbres hiſce Diebus indies multiplicabuntur, ac tandem poſt omnia hæc Viſu pulcherrima Albedo inſtar Striarum aut Capillorum ad Vaſis Latera oſtendit ſeſe. Tum gaude, quia Jovis Regimen feliciter peregiſti. Cautio in hoc Regimine maxima eſto, ne Corvorum Pulli, poſtquam Nidum ſuum reliquerint, eundem repetant. Item, ne ſic immodice Aquam exhaurias, ne eadem Terra ſubſidens careat, & arida inutilîſque in Fundo relinquatur. Tertio ne intemperanter adeo Terram Tuam irriges, ut eandem penitus ſuffoces. Quibus Erroribus cunctis bonum Caloris externi Regimen ſuccurret.

## CAPUT XXVII.

### *De Regimine Lunæ.*

POſt abſolutum Jovis Regimen ſub Finem Menſis Quarti ſignum creſcentis Lunæ tibi apparebit, & ſcias, quod totum

Jovis Regimen abluendo Latoni fuit dicatum. Spiritus abluens Candidus eſt valde in ſua Natura, at Corpus abluendum Nigrum Nigerrimum. In cujus Tranſitu ad Albedinem omnes Intermedii apparuere Colores, quibus abſolutis Candidum totum fit, at non perfecte Candeſcens primo Die, verum gradatim ab Albo ad Albiſſimum, aſſurget. Et ſcias, quod in hoc Regimine totum fiat inſtar Liquidi Argenti Vivi ad viſum, & hoc dicitur Matris Sigillatio in Ventre Infantis ſui, quem peperit, eruntque in hoc Regimine varii Colores momentanei pulchri, & cito diſparentes, at Albedini magis quam Nigredini propinqui, ſicut & Colores in Regimine Jovis plus Nigredinis quam Albedinis participarunt, & ſcias, quod intra tres Septimanas Regimen Lunæ erit completum. Ante vero quam impleatur, Formas mille induet Compoſitum. Nam creſcentibus Fluviis ante omnimodam Coagulationem, Centies in Die liqueſcet & coagulabitur, aliquando inſtar Oculorum Piſcium apparebit, nonnunquam Arboris pure Agenteæ ac politiſſimæ, cum Ramuſculis ac Frontibus Figuram æmulabitur. Verbo, hoc Tempore quavis Hora viſa te Stupore ac Admiratione obruent. Et tandem gra-

na

na habebis albiſſima inſtar Atomorum Solis præ Tenuitate, pulchriora quibus Oculus Humanus vidit nunquam. Immortales DEO Noſtro agamus Gratias, qui huc Opus produxit. Eſt enim vera Tinctura perfecta ad Album, licet Primi tantum Ordinis, ac proinde Virtutis exiguæ reſpectu admirandæ, quam reiterata Præparatione acquiret, Virtutis.

## CAPUT XXVIII.

### *De Regimine Veneris.*

PRæ omnibus mirum eſt hoc, quod Lapis Noſter omnimodè jam perfectus, perfectamque Tincturam communicare potens, ſponte ſeſe iterum humiliat, novamque Volatilitatem citra ullam Manuum Impoſitionem meditabitur. Si tamen ex Vaſe ſuo acceperis, idem Lapis alii denuo Vaſi incluſus incaſſum poſt ſui Refrigerium ulterius deduci tentabitur. Cujus Rationem demonſtrativam nec nos, nec ulli Philoſophi Antiqui reddere valemus, niſi quod factum ſit Nutu DEI. Saltem hic Igni Tuo cave, quia Perfecti Lapidis hæc eſt Lex, ut ſit Fuſibilis: ideoque ſi Juſto majorem Ignem dederis, vitrificabitur Materia, & colliquata Lateri-

bus

bus Vaſis adhæreſcet, nec ulterius promovere valebis. Et hæc eſt Materiæ Vivificatio illa, toties à Philoſophis præcauta quæ ante & poſt Perfectum Opus Album accidere ſolet incautis, nempe poſt Medium Regiminis Lunæ ad Septimum aut Decimum usque Diem Regiminis Veneris. Quare parum ſaltem augeatur Ignis, ita ut Compoſitum non vitrificetur, hoc eſt, liqueſcat Paſſive inſtar Vitri; At benigno Calore ſponte ſua liqueſcet, turgeſcetque, & jubente DEO Spiritu dotabitur, qui ſurſum volabit, Lapidemque ſecum apportabit, dabitque Colores novos, Viridem inprimis Venereum; qui longo durabit Tempore, nec intra Dies Viginti totaliter diſparebit, Cœruleum quoque expectes, Lividumque, & ſub Finem Regiminis Veneris Pallidum, & obſcure Purpureum. Caveto hoc in Opere, ne Spiritum irrites nimium, quia Corporalior eſt quam antea, & ſi ad Vaſis Summum ejus Volatum feceris, ſponte ſua tibi vix revertetur. Quæ eadem Cautio eſt obſervanda in Lunæ Regimine, cum Spiritus inſpiſſari cœperit; quia tum ſuaviter, & non cum Violentia erit tractandus, ne fugando ad Summitatem Vaſis totum illud, quod in fundo eſt, comburatur, aut ſaltem vitrificetur ad

Ope-

Operis deſtructionem. Cum itaque Viredinem conſpexeris, ſcias in ea Virtutem Germinativam contineri. Quare cave hic, ne Viror iſte in Nigrum turpe vertatur Calore immodico, verum Ignem prudenter regas; ita poſt Dies Quadraginta abſolutum Regimen hoc habebis.

## CAPUT XXIX.

### *De Regimine Martis.*

PEracto Veneris Regimine, cujus Color erat præcipue Vireſcens parumq; Rubens Purpureo obſcure Colore, interdum Livido, in quo Tempore Arbor Philoſophica Ramis ſuis floruit diſcoloratis, cum Foliiſque Ramiſque; ſuccedit Regimen Martis, qui aliqualem Flavedinem, Lutea quaſi Brunitie dilutam, potiſſimum demonſtrat, Coloreſque tranſitorios Iridis ac Pavonis glorioſiſſime exhibet. Hic ſiccior Compoſiti Status, in quo Materia varias Formarum Larvas imitari videtur. Hyacinthinus Color cum leviſſimo Aurantii frequens hiſce Diebus apparebit. Hic Sigillata Mater in Infantis ſui Ventre ſurgit & depuratur, ut ob tantam, in qua ſiſtitur Compoſitum, Puritatem putredo hinc exulet. At vero obſcuri Colores hoc

toto Regimine pro baſi ludunt, fiuntque intermedii Colores Spectatu placidiſſimi. Jam ſcias Virginem Noſtram Terram ultimam ſubire Cultivationem, ut in ea Fructus Solis ſeminetur ac maturetur, ideoq; bonum continua Calorem, & videbis pro certo circa Diem hujus Regiminis Trigeſimum Colorem Citrinum apparere, qui intra Septimanas Binas à Prima ſua Apparitione, totum fere Citrino Colore imbuet.

# CAPUT XXX.

## *De Regimine Solis.*

JAm Operis tui Fini appropinquas, Tuumque fere perfeciſti Negotium; jam omnia inſtar Auri Obryzi videntur, & Lac Virginis, quo cum Materiam hanc imbibis, citrineſcit valde. Immortales jam DEO Omnium Bonorum Largitori redde Gratias, qui hucusque Opus perduxit, quem ſupplex ora, ut Tuum Conſilium ſic deinceps regat, ne forte Opus fere jam perfectum præcipitare ſtudens penitus perdas. Conſidera jam, quod per Menſes fere Septem expectaſti, neque ſanum erit Unica Horula Totum annihilare. Quare cautus eſto valde, eoque plus, quo Perfectioni vicinior es. Caute vero

vero ſi progreſſus fueris, occurrent tibi hæc Notabilia: Inprimis Sudorem quendam Citrinum in Corpore obſervabis, tandemque Vapores Citrinos, ſubſidente Corpore, Viola tinctos, interdum & Obſcura Purpura. Poſt Duodecim aut Quatuordecim Dierum Expectationem in hoc Solis Regimine Materiam pro majori Parte humidam obſervabis, & ponderoſam licet, attamen in Venti Ventre totam aſportatam. Tandem circa Diem Vigeſimum Sextum Regiminis hujus exſiccari incipiet, & tum liqueſcet ac congelabitur, reliqueſcetque centies in Die uſquequo granulari incipiet, videbiturque ac ſi totum Granis diſcontinuum, iterumque coaleſcet, infinitasque de Die in Diem Formarum Larvas induet, & hoc durabit per Septimanas Binas aut circiter. Ultimo vero, jubente DEO, Materiæ tuæ irradiabitur Lux, quam imaginari vix poſſis, tum cito expecta Finem, quem poſt Dies Tres videbis, quia granulabitur Materia inſtar Atomorum Solis, eritque Color tam intenſe Ruber, quod præ eminenti Rubore nigreſcet inſtar Sanguinis ſaniſſimi coagulati, licet non credas aliquid tale huic Elixiri ex Arte comparari poſſe. Quia eſt mira Creatu-

tura, parem ſibi non habens in tota Univerſi Natura, nedum exacte ſibi ſimilem.

## *Ad Caput XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. & XXX.*

IN hiſce Sex Capitibus ſubſequentibus Sermo inſtituitur de Coloribus, ad Uberiorem vero Explicationem imprimis conſulendi ſunt Johannis de Padua Sapientia Conſummata p. 69. 80. 81. 82. 51. Item Flamellus p. 74. 64. 20. 21. Dienheim l. c. p. 126. 169. 135. 128. Hermetiſcher Roſenkrantz/ p. 36. 37. Prugmayer l. c. p. 144. Iſaacus Hollandus de Lap. Phil. p. 15. 16. 17. 173. 133. 134. Radix Chymiæ p. 74. 149. 150. Waſſerſtein der Weyſen/ p. 186. 182. 44. Iſaacus Hollandus Hand der Philoſophen/ p. 127. Erbinæus von Brandau p. 90. Figuli Roſarium Olympicum p. 79. &c.

## CAPUT XXXI.

### *Fermentatio Lapidis.*

MEmineris jam te Sulphur nactum eſſe Incombuſtibile Rubeum, quod nullo prorſus Igne ulterius promoveri poſſet per ſe, cautusque eſto maxime, quod in præcedente Capitulo oblitus eram, ne in Regimine Solis Citrini ante Adventum Supernaturalis Filii, induti Colore vere Tyrio, ne, inquam,

Tuam

Tuam Materiam Ignitione indebita vitrifices, quia ſic eſſet deinceps inſolubilis, ac per conſequens in pulcherrimas Atomos Rubicundiſſimas non congelaretur. Eſto proinde cautus, ne tanto Theſauro Temet prives. Et tamen ne Te hic Laborum Tuorum Finem reperiſſe ſic credas, quin ulterius pergas, ut ex hoc Sulphure iterata Rotæ Circulatione Elixir habeas. Quare capias Solis purgatiſſimi Partes Tres, ac Sulphuris hujus Ignei Partem unam, (poſſis Solis Partes Quatuor capere, & Sulphuris Quintam Partem, ſed prædicta Proportio melior eſt;) funde Solem in Crucibulo mundo & fuſo injice Sulphur Tuum, at caute, ne à Fumo Carbonum perdatur. Fac ut ſimul fluant, deinde effunde in Excipulum, & habebis Maſſam Pulveriſabilem Coloris pulcherrimi Rubicundiſſimi, at vix tranſparentis. Cape hujus Maſſæ minute tritæ Partem, Mercurii tui Sophici Partes Binas, miſce optime ac Vitro include, ac rege ut prius, & Binis Menſibus omnia prædicta Regimina, Ordine ſuo, præterire videbis; hæc eſt Vera Fermentatio, quam reiterare, ſi libet, licet.

## *Ad Caput XXXI.*

DE Fermentatione & de Fermento legi merentur, Cocheim p. 44. 45. Iſaacus Hollandus de L. Ph. p. 85. 86. 42. Ejusdem Hand der Philoſophen/ p. 285. 126. Flamellus p. 124. 95. 104. 13. 16. 123. Walchius 60. p. 80. Figulus l.c. p. 99. 105. Baſilius Valentinus p. 434. Morley Collectanea p. 30. Philalethæ Lum. de Lum. p. 110. Eckhards Entlauffener Chymicus p. 1060. Waſſerſtein der Weyſen/ p. 108. 109. Theophraſtus Paracelſus P. III. p. 772. Edouardus Kellæus p. 154. 149. Theatrum Chymicum Volum. III. p. 133. Volum. II. p. 115. Volum. V. p. 607. 610. &c.

# CAPUT XXXII.

## *Imbibitio Lapidis.*

SCio, quòd multi Autores Fermentationem in hoc Opere pro Interno Agente inviſibili capiunt, quod Fermentum dicant, cujus Virtute fugitivi tenuesque Spiritus absque Manuum Impoſitione ſponte inſpiſſantur, noſtramque prædictam Fermentationis Viam Cibationem vocent cum Pane & Lacte; ſic Riplæus. Ego vero non ſolitus alios citare, nec illorum in Verba jurare in Re æque mihi ac illis cognita, propriam obſervavi Licentiam. Eſt ergo alia Opera-

ti-

tio, qua Lapis augetur in Pondere plus quam Virtute, id eſt, cape Sulphur tuum Perfectum, ſive Album, ſive Rubeum, & adde Tribus Sulphuris Partibus Quartam Aquæ Partem, & poſt tantillum Nigredinis Sex Septemve Dierum Decoctione Aqua tua recens addita inſpiſſabitur inſtar Sulphuris Tui, adde tum Quartam, non reſpectu totius Compoſiti, quod jam Quartam Unam Partem coagulavit; at reſpectu Sulphuris ante Imbibitionem Primam; qua exſiccata, adde reſpectu Trium Partium Sulphuris primo ante Imbibitionem Primam libratarum, & hac Proportione ter imbibas & congeles. Tandem Quinque Partes Aquæ Septima Imbibitione ponas, nempe reſpectu Sulphuris primo accepti, qua impoſita ſigilla Vas Tuum, & Igne priori ſimili fac ut totum Compoſitum omnia Regimina prædicta tranſeat, quod fiet ad ſummum Menſe uno, tum habes verum Lapidem tertii Ordinis, cujus Pars una cadit ſuper Decem Millia, & perfecte tinget.

## *Ad Caput XXXII.*

De Imbibitione evolvantur Flamellus p. 69. 70. 73. 71. 105. Dienheim p. 128. 118. 119. Reſchens Oſiandriſche Experiment p. 164. Theatr. Chym. Vol. IV. p. 548. &c.

# CAPUT XXXIII.

## *Lapidis Multiplicatio.*

AD hoc nullus alius requiritur Labor, niſi ut ſumatur Lapis perfectus, ejusque una Pars conjungatur cum Partibus Tribus, aut ad ſummum Quatuor, Mercurii primi Operis, ac regatur Igne debito per Dies ſeptem, Vaſe admodum ſtricte clauſo, & omnia Regimina ſumma Jucunditate præteribunt, & habebis totum Virtute millecupla ditatum, pro Lapide ante ejus Multiplicationem. Et ſi hoc iterum tentabis, Tribus Diebus omnia Regimina percurres, & erit Medicina adhuc millecupla tingendi Vi exaltata. Et ſi adhuc repetere cupis, opus intra Naturalem Diem per omnia Regimina & Colores traduces, idemque Hora fiet Unica, ſi iterato tentes, nec Virtutem tui Lapidis unquam tandem invenire poteris; Tanta erit, quæ Ingenii Capacitatem ſuperet, ſi modo in hoc Opere perſeveraveris. Immortales jam memor eſto Grates DEO agere, quia totum Theſaurum Naturæ jam in poſſe habes.

## *Ad Caput XXXIII.*

DE Multiplicatione præter Authorem noſtrum & noſtram Mineralogiam legantur Arca Hermet. Philoſoph. p. 10. 26. 47. 56. 60. 15. Reſchens Oſiandriſche Experiment p. 66. 67. Figuli Roſarium Olymp. p. 112. 113. 114. 115. Theatri Chymici Volumen IV. p. 408. Vol. II. p. 116. Vol. VI. p. 150. ſeq. 429. Baſ. Valent. p. 67. Walchii Kleiner Bauer p. 289. Dienheim p. 132. 133. 210. Iſaacus Hollandus de L. Ph. p. 52. Ejusdem Hand der Philoſophen p. 136. 137. Flamellus p. 121. 122. Geber Redivivus p. 41. ſeq. &c.

## CAPUT XXXIV.

### *De Modo Projiciendi.*

CApe Lapidis tui Perfecti, ut dictum eſt, Albi aut Rubri, ac pro Medicinæ Qualitate cape utriuſvis Luminaris Partes quatuor, funde in Crucibulo mundo, tum immitte Lapidis tui juxta Speciem Luminaris fuſi: Albi aut Rubei, ac immiſta effunde in Conum, eritque Maſſa pulverabilis, hujus cape Miſturæ Partem Unam, & Mercurii bene loti Partes Decem; calefac Mercurium, donec ſtrepere incipiat, tum injice Miſturam tuam, quæ Ictu Oculi penetrabit, eum funde cum Igne aucto, & tota erit Medicina Ordinis inferioris. Hujus tum cape Partem

unam, & projice ſuper quodvis Metallum, fuſum & purgatum, quantum nempe Lapis Tuus vult tingere, & habebis Aurum Argentumve adeo purum, quod purius Natura non dabit. Præſtat tamen gradatim projicere, usque, dum Tinctura ceſſet, ſic enim latius extendetur, quia cum Tantillum ſuper Tantum projicitur, niſi Projectio fiat in Mercurio, notabilis fit Medicinæ jactura ob Scorias, quæ immundis Metallis adhærent. Quare quo melius purgantur Metalla ante Projectionem, eo melius in Igne Negotium ſuccedit.

## *Ad Caput XXXIV.*

CAput hoc eleganter explanatum dedere Flamellus p. 121. 107. 31. Cocheim p. 68. Radix Chymiæ p. 152. Iſaacus Hollandus de L. Ph. p. 100. 140. Ejusdem Hand der Philoſophen/ p. 110. 155. 118. 119. 120. Walchius l. c. p. 289. Dienheim p. 132. Theatr. Chym. Vol. VI. p. 551. Volum. II. p. 175. &c.

## CAPUT XXXV.

### *De Multiplici Uſu hujus Artis.*

QUi ſemel hanc Artem juxta DEI Benedictionem perfecte elaboravit, neſcio quid in toto hoc Mundo exoptare poſſit, ni-

ſi ut

ſi ut tutus ab omni mala Fraude & Dolo, DEO ſuo jugiter ſervire poſſit. Vanum autem, imo omnium vaniſſimum erit, Pompa vulgarem Auram anhelare, imo nec talia Cordi ſunt hujusmodi, qui hanc Artem callent, quin potius ſpernunt & contemnunt. Qui ergo hoc talento à DEO beatus eſt, huic talis Voluptatis Campus patet:

Imprimis ſi viveret Annos mille, & quotidie Hominum millium mille aleret, non egeret, quia pro Voto ſuo Lapidem multiplicare valet tam Pondere quam Virtute. Ita ut omnia Imperfecta, quæ ſunt in Mundo, Metalla comparabilia poſſet, ſi hoc in Votis haberet, omnia in Verum Aurum Argentumve tingere.

Secundo Lapides Pretioſos ac Gemmas poterit hac Arte conficere, quales nullæ in Rerum Natura ſine hac Arte comparari poterunt.

Tertio ac tandem Univerſalem omnium Morborum Medicinam habet, ſic ut unus ſaltem vere Adeptus omnes in Univerſo Orbe Ægrotos curare valeat.

Regi proinde Sempiterno, Immortali ac Soli Omnipotenti Laudes ob hæc dona ſua in Æternum agamus.

Quisque proinde Talento hoc fruitur, in

Honorem DEI & Proximi Utilitatem utatur moneo, ne ingratus erga Creditorem DEUM, qui tanto eum Talento beavit, reperiatur, ac reus Ultimo Die condemnetur.

## *Ad Caput XXXV.*

AD Caput hoc Ultimum uberius illuſtrandum inſervient Henrici Kunrath Amphitheatrum p.m.72.73.74. Waſſerſtein der Weyſen p.53.54. ſeq. Figuli Roſarium Olympicum p.110. Joh. Hollandus de L.Ph.p.8.11. Johannis de Padua Sapientia Conſummata p. 256. uſque 274. Joh. Riſtens Philanthon, Strephon. und Charianders Geſpräch/ von dem Philoſophiſchen Stein der Weyſen und deſſen Materia. Langens wunderliche Begebenheiten p.110, uſque 144. & aliorum Labores perſpicui pariter & plani.

Non pigebit quoque heic provocaſſe ad noſtram Mineralogiam, in qua potiſſima hujus Capitis momenta, qua fieri potuit perſpicuitate, excuſſimus, & Metallorum Virtutes, in Arte Chemica maxime ſe exerentes recenſuimus. Cui, ſi æternum Numen adſpiraverit Viresque ac Vitam conceſſerit, mox jungemus *Pandoram* noſtram, quæ Commentarii inſtar has perbreves Obſervatiunculas in Philalethen paulo fuſius diducet, & primas has veluti lineas magis elabo-

elaborata lucubratione explanabit. Cujus editionem tanto curabimus diligentius, quanto benevolentius Conatus Noſtros, hanc imprimis Opellam qualemcunque, Optime Lector, tuo favore ſecundabis pariter ac ſoſpitabis. Qua ſpe freti nihil magis in votis habemus quam ut Chemiam Medicis, Medicis Patronos, Patronis facultates ad Chemicas Artes feliciter elaborandas, concedere ac conſervare æternum Numen porro velit.

# DOMINI DOCTORIS BECHERI

## *Pantaleon Delarvatus.*

## Lectori Philochymico Veritatis deſideratæ Conſecutionem.

VOtum quod tibi, Lector Benevole, opto, Veritatis Conſecutio eſt, ne itaque pro Theſauro Carbones accipias, profeſſionis meæ officium eſſe duxi, impoſturas Tibi detegere, larvas detrahere, & ſcapham ſcapham vocare: quare hoc profeſſionis meæ ſit, comparebit ex aliquo Libro proxime publicando. Regnum Chriſti amo, quod eſt veritas; Omnis, qui eſt ex Veritate, audit vocem illam, amatque lucem & fugit tenebras, ſic publice tenebras Scholarum Luce mea didactica illuminavi, ſic nebulas P. contra F. M. Scripto Intitulato: Veritas defenſa contra Infame Decretum Univerſitatis V. ſeu Z. intrepide diſſipavi, ſic confuſum Religionis ſtatum orbi ob

ocu-

oculos ſub Octo Columnis Fundamentalibus poſui, ſic Romani Imperii ſtatum Politicum commerciorum tractatu expoſui, ſic plurimos paralogiſmos Mathematicos explicavi, ſic Phyſica, præſertim Chymica, Veritati reſtitui, Rolfinci Non-Entia caſtigavi, Phyſica mea ſubterraneâ Centuria Sophiſticatorum, Glauberianorum, Hiſtoria Seileriana ſcriptiſque aliis. Minime ergo impunem Cornicem hanc G - - oberrantem & circumvolitantem undequaque atque in optimos Philoſophos, præſertim noſtrum Philalethen, invehentem, libere relinquere debeo, ſed veritati aſſiſtere, Cornicem deplumare & nudum orbi ſiſtere, habitis in manu mea ejus rei cauſa ſolidis documentis, ne ambitioſus hic J. ſcriptis ſuis orbi & literis ſuis Regibus diutius imponat, quod â multis quoque rogatus facio, & noſtro *Langio* Philalethici Scripti primo Editori jam Hamburgi me facturum denuo ſpoſponderem, ſed jam ex illo tempore hic in Anglia plura documenta de Cornice noſtra reperi, Deum teſtor, me non paſſionis privatæ cauſa hoc ſcribere contra G - - licet in meum Solinum Saltzthal invehatur, ſed quod ſub *Pantaleonis* nomine tot hominibus impoſuerit, uſus aliorum veritate,

ritate, quos contemſit tamen, ſicut Philalethen, & ſane, diu inveſtigavi in Philalethem ipſum, utrum & ille impoſtor eſſet, uſus forte plumis Suchtenianis, ſed in Anglia certò comperi Philalethem verum Adeptum eſſe, & G. - - non, veritati itaque aſſiſtere & falſitati reſiſtere oportet, ſcio quidem Lectori me gratiſſimum opus facturum, ſi tot gemina documenta pro vera exiſtentia Philalethis opponerem, quam de G - - impoſtura hic ſi aliquid allegarem, poſteriorem autem oportet publicare, ut Philochymici ſibi ab eo caveant nec decipiantur, priorem vero oportet conſervare, ne ipſi noceamus & boni Philoſophi pereantur. Optandum interim foret omnes falſi Scriptores & Compilatores Chymici ſic caſtigarentur & detegerentur, qui ſe Adeptos fingunt, Lectoribus imponunt libros, cumulant & confundunt, crambem bis coctam recoquunt, fucorum inſtar aliorum Labores exſugunt, iṁeritos honores ambiunt, peregrinam pecuniam venantur, & Chymia multo ſincerior & venuſtior compareret, quod fiet, ſi alii boni viri mecum collaborabunt, ut noctuæ tales anonymæ detegantur & coram veritatis judicio publicè reſpondeant ac rationem reddere cogantur.

*Sta-*

## *Status Cauſæ.*

ANno ſupra Milleſimum ſexcenteſimum ſeptuageſimô ſexto quidam nomine C - - G - - natione ni fallor M - - profeſſione Medicus, & uti de ſe prædicabat Doctor Graduatus, homo juvenis, præſumptuoſus tamen in dicendo, ſæpe me V. convenit, & conſilium quæſivit de Melancholia quadam Hypochondriaca, quam in Hungaria contraxiſſe querebatur, incidit præterea in diſcurſus Chymicos de Mercurio Sophico, vellicans illam materiam per objectiones, ut aliquid a me eliceret, ſciebat enim me Suchtenio tum temporis valde incubuiſſe, narrabat inſuper nonnulla de metallo anonymo ex ferro extracto, Auri inſtar, quod tamen non eſſet Aurum, alludens ad Aurum Phyſicum Philalethes ſeu Sophiſticum Suchtenii, circa homogeneitatem Mercurii, dejectionem fæcum ſuarum, inſtar pulveris nigri, digeſtione in Aurum varia garriebat, denique nullam non Philoſophiæ partem intactam linquebat, ſed omnia incerto per malum quæſtionis vel objectionis ſaltim, ſic aliquot menſes familiaritate meâ uſus, ſine valedictione tandem evanuit, poſt ſemi annum circiter

redux,

redux, clam ad me miſit Pantaleonem ſuum impreſſum, ſed tacito nomine per interpretem quendam mihi familiarem, Alſatum natione, K - - nomine, is cum exhibitione libelli ſimul ſignificavit ipſum Pantaleonem adeſſe, ſalutem mihi dicere, verum Adeptum eſſe, familiaritatem meam deſiderare, annui ut ipſum adduceret, & tandem advenit perſonatus Noſter Pantaleon ſub G - - figura, ſtatim ſe excuſare cœpit, quod diſceſſerit inſalutato hoſpite, fortunam & occaſionem præſentaneam ſibi oblatam fuiſſe ab Adepto, â quo per id tempus P - - veram artem didicerit, ac proinde nomen mutaverit, obteſtans me per omnes ſuperos ut nomen ejus tacerem, ſi præſentia ſua uti vellem, ſed omnia candide traditurum, deeſſe vero ſibi media, itaque velle artem J - - offerre & rogare, ſi ejus libellus ſupplex ad manus meas & judicium ſupra ferendum veniat, ut album adderem calculum, promiſi me facturum & feci, J - - tamen non aſſumſit oblatum & memoriale reddidit in originali mihi in manus meas; Re itaque non ad votum ſuccedente, rogavit ut C. P. offerrem pro mille ducatis, ſed & ille reſpuit, præſertim quod Medicinæ quidam Doctor Bohemus B. nomine, de hac G - - mercatura

au-

audiret, qui P. accurrit, recenſens G - - F - - eſſe, & quicquid proponeret vendendum ſcientiæ, â Religioſo quodam ſene & paupere V - - didiciſſet, apud quem per aliquod tempus latitaſſe, ipſum igitur ſenem C - - P - - ſua officia offerre, & ſi tantundem modo acquirere poſſet, quo vitam ſuſtentare quiret, ſe omnia communicaturum; ſed P - - neutri credidit, confugit itaque G - - ad P - - C - - E - - L - - Virum in Chymiam impenſe deditum & liberaliſſimum, huic Pantaleonem ſuum offerens, nonnullos Ducatos accepit, quibus ſibi veſtes comparans, uxorem in matrimonium duxit, Medicinam exercuit, perſonam meam fugit, neque amplius in conſpectum venit ego temporis interea V. diſceſſi, in Angliam veni, ubi conſuetus ſuper literis quibusdam ab aliquo Matthia A - - Ratisbona ad Regem Angliæ ſcriptis, ſtatim characterem, ſtylum & manum agnovi, idemque memoriale monſtravi, quod C - - exhibuerat, repertumque eſt prorſus idem, ejusdem ferè tenoris, manus vero ut lac lacti conveniebat, quibus viſis, combinatis & obſervatis, non potui diutius hominis J - - & inſolentiam ferre, ſed qui publicè in meum Solinum Salzthalium & Philaletham invehitur,

tur, quorum tamen ille in literis ſuis principiis utitur, publicè & jam corrigendum eſſe duxi, ne ſcriptis vel literis ſuis diutius Regibus & Philoſophis imponat, atque in veritatis amantes, nempe Philalethas debacchetur. Et hæ quidem cauſæ publicæ & morales ſunt deplumationis hujus Cornicis, verum Phyſicas & Philoſophicas rationes quod attinet, apertum mendacium & maximum contradictorium in G - - demonſtrabo, idque toto orbe, in Pantaleone ſuo reliquisque ſcartecis in Philaletham invehitur quod Regulo Martiali utatur, cum tamen nihil Martis in Regulum intraſſe mira ſolertia ibi demonſtrare conetur, & ſic Philalethem conviciſſe exiſtimat, publice interim C. & J. ipſe in literis ſuis ad Magnæ Britanniæ Regem fatetur ingenue, animationem Mercurii ſui procedere ex Regulo Martis Antimoniali, pro quo ſecreto tot mille ducatos petit, cum Philaletha in experimentis ſui Mercurii Sophici, eandem præparationem gratis, verbis ſane tam claris doceat, quæ nemo non intelligat, & Alexander Setonius jam ante ſeculum totam Theoriam & Praxin integro libro de hac operatione ſcripſerit; Crambem ergo recoctam Cornicula noſtra proponit, dignus ſane ob id

aureæ

aureæ Periſcelidis Anglicanæ ſumma digni-tate,& quidem equeſtri, verum enim vero ut tamen aliquid habeas G. quod reportes, vel tibi reſcribebatur in reſponſum ex Anglia, en corniculam hanc deplumatam, quâ J - - & R - - illudere voluiſti, minitaris nempe in literis tuis Regi Angliæ, quod niſi cito reſolvat, te alii Monarchæ artem communicatúrum, quod jam diu antea feciſti, ut patet ex literis ad J - - itaque non modo imponis, inveheris in Viros Philoſophos, ſed etiam minitaris & mentiris Monarchis & Regibus, utpote conſtitutus, ut tibi videtur, alter Paracelſus & Monarcha ſuper omnes Philoſophos, cui proinde liberum eſt in Reges & Philoſophos imperium; Miſerrime, ſi tacuiſſes, Philoſophus manſiſſes. Vide jam, quomodo cum plumbea machæra, ut tua Latinitate utar, tenebrionis inter Philoſophos ſtulti inſtar oberres, teque proſtituas, ſi Deus hanc artem tibi conceſſiſſet, vel tacere debuiſſes, & ea in pietate & ſilentio frui, vel modeſte proponere, non Regiam gazam exhaurire, non faſtuoſe omnes alios Philoſophos contemnere, neque contra illos invehere, quorum principiis tu ipſe niteris, ingratiſſime diſcipule, qui nec dum perſoluto didactro ſchola excurris, & convicia ac maledicta in Magiſtros evomis, ſed dic mi-

hi, ut de Solino Salzthalio taceam, quare infidelis eſt Philaletha, quare Lectorem ludit, & in qua re tu fidelius egiſti, & plura orbi communicaſti quam Philalethes, agnoſciſne Philalethæ Theoriam & Praxin eſſe Alexandri Suchtenii? quæſo jam dic nobis, ubi Suchtenius, ubi Philalethes conſonent, Lectorem erudierint & eluſerint, & quid tu utrumque melius docueris. Vix credo te ſtatum cauſæ intelligere, quid Suchtenius & Philaletha velint, in quo conveniant, contrarientur, Lectorem vel erudiant, vel eludant. Verum nebulam tibi de oculis detraham, ut videas & reſpicias quam erres in Philoſophicis, & quam male ac arroganter egeris in moralibus.

1. Suchten ſcoreas primas ſervare jubet, donec uſum illarum ſcias, myſterium enim in illis occultum eſſe ait, de quo tamen loqui non vult, tu vero divina, quare ſecundas & tertias ſcoreas abjicere jubeat, & Philaletha in genere teſtam repudiat, ut pote quidem non ad opus Philoſophicum facientem, interim tamen & Medicina & Particulare quoddam in iſtis ſcoreis latet, de quibus permultas habeo obſervationes, ſunt enim fere mirabiles, nec ferrum, quod tu in illis latere demonſtras, commune eſt, ſed multum Auri fundit, unde ante multos jam annos

nos Marcus Freund, Celebris ille Aſtronomus, Norimbergæ tractatulum aliquando edidit ſub titulo: *Strena novi anni*, ſeu Particulare ex ſcoriis Martialibus Antimonii; incenduntur enim in aëre, habent in ſe Sulphur vivum, quod amalgamatur cum Mercurio, exhibent pulcherrimum crocum, rubicundiſſimam ſolutionem, fingunt Lunam & Mercurium Saturni, & de præſenti plus præſtent veritatis quam ipſa animatio Mercurii Sophici. Scis jam, cur Suchten ſcoreas ſervare, Philalethes teſtam repudiare jubet, ſed tu nec nucleo nec teſta dignus, corticem lambis; dignus qui Philoſophorum - - - lambas, & non illorum veritatem calumnieris & crimineris, quam ingenue enim Philaletha egerit Scriptis ſuis, res teſtatur, adeo ut ad ſilentium fere cogendus ſit, ne tu tuique ſimiles vel inviti videant.

2. Suchten Regulum Martis Antimonii facere docet, cui Philalethes conſentit. Suchten Lunam addit, Philalethes quoque, explicuitque Binas Dianæ ſuæ Columbas non aliud, niſi duas partes Lunæ eſſe reſpectu Reguli Martialis; amalgamatio, digeſtio, lotio, ſublimatio ſeu deſtillatio eſt eadem cum Suchtenio, adeo quod Philalethes Suchteniano proceſſui figuratam tantum obſcuritatem impoſuerit, nempe ænigmate tradidit,

didit, quod Suchtenius clariſſimis verbis ante ſeculum publicè expreſſit. Quidad hæc tu? anne ideo Suchtenius impoſtor eſt, quod eandem veritatem verbis aliis noſtro tempore exponat, anne qui poſt nos venturi & viſuri ſunt, impoſtores erunt, qui eundem Solem viderint, licet aliis perſpicillis uterentur? Cœterum hoc loco prætereundum non eſt, Philalethem non modo Suchtenium ſecutum, ſed & ulterius progreſſum eſſe, ubi Suchtenius ſubſiſtit, nam de repetitione animationis Mercurii cum Regulo Suchtenius tacet, Philaletha vero Lectori oculos aperit per aquilas ſuos, Suchtenius quidem ait, Mercurium animatum per Regulum Martis poteſtatem habere metallà diſſolvendi & ſeparandi acquiſiviſſe, nempe, ignem ex Marte, qui denuo agat, atque ſi juxta G-- nihil ex Marte in Regulo eſt, unde ergo ille ignis, unde illa poteſtas ſeparatoria & reviſicatoria, de qua Suchtenius, Claveus & Philalethes, & cur teſtibus literis G-- ad Regem Angliæ ipſe utitur tali Regulo & Mercurio, quod vero ad tot aquilas ſit animandus, & quod ſuper tot metallis rectificandus & acuendus ſit, donec poteſtatem auri reſolvendi acquirat Suchtenius prorſus tacuit, niſi quod de Venere loquatur, & Philalethes connubia Veneris maxime commen-

mendet; & hoc totum & unicum ſecretum ſit, quod G-- à Sacerdote ſuo didicerit, licet Author Nuptiarum Philoſophicarum Chriſtianus Roſencreuz Venerem improbet, illam viam ſi non prorſus Sophiſticam appellet, certe ut longam rejiciat, & quæ ſibi in pœnam injuncta fuerit, alias neque Suchten, neque Philalethes negotium tam clare ſcripſiſſent, ut ne quidem jam mercaturam cum eo inſtituerent. Videntes metalla Mercurii abſtractione non nihil alterari & immutari, hinc B-Z-C-W-W-B-C-W- aliorumque velitationes & proſtitutiones, auſim ſane hoc dicere Mercurium quomodocunque animatum, ſi nigras fæces dejiciat, non eſſe adhuc Mercurium Sophicum illum homogeneum, dequo Philalethes in experimentis Mercurii Sophici ſcribit, quod digeſtione in albedinem & Lunam fixam vertatur, de qua Lullius in Minera ſua, & ego in Minera mea arenaria aucta, nigredo enim Mercurii utut eſt optima, ita tamen reactionis & analyſis ſignum eſt partium terrearum, quæquidem nigredo omnimode in Auri commiſſione requiritur, ſed nos de Mercurio Sophico loquimur, ut ego infero, quod Mercurius per Venerem animatus, nunquam ſola digeſtione Luna fiet, Arſenicum enim Lunare, quo Mercuri-

us animari debet, & à Lullio & à Suchtenio, & à Philalethe prorſus tacetur, & ſine illo Sorte ſeu Sulphure Arſenicali non figitur Mercurius, & cum illo Arſenico Mercurius, qui eſt in Regulo Antimonii, in omnia Metalla tranſmutari poteſt, etiam Mercurius communis, ut Suchten & Philalethes docent, quod qui velit partes atteſtari poteſt. Ex quibus vero metallis Mercurius hanc Arſenicalitatem acquirat, ut unica abſtractione ſuper Luna illam fixam reddat, tacuerunt & Suchtenius & Philalethes, niſi quod hic poſterior de regimine viarum, Planetarum & Chao Mercuriali non nihil indigitet, ſed adeo tenuiter, ut vix obſervari queat. Sicut enim in Magneſia ſeu Biſmutho Arſenicale Sal ſeu Sulphur eſt, unde mixtum cum ſtanno vel plumbo id reddit tenuiſſimum, quod corium etiam tranſeat in amalgamatione & in deſtillatione communi Mercurio notabiles qualitates imprimat, ita Minerale quoddam eſt, quod Arſenicum Mercurio communicat, unde prorſus aliam naturam induit, quam ſi Sulphure communi tractetur, nam non Sulphur comūne nec Mercurius comūnis, ſed Sulphur & Mercurius Arſenicalia principia metallorum ſunt, quod Enchiriſi ad oculum demonſtrare poſſum, & nullus forte ante me tam clarè hæc notavit, animabuntque Mercuri-

um

um ſuum in æternum fruſtraneè, qui non qualitates Arſenicales animationibus ſuis ei imprimunt, hoc eſt, eum acuere & illo Sale reſolutivo animare, nam Mercurius eſt Arſenicum fluidum; audi jam, quid ignorans vaticinatus ſis de Nitro Philoſophorum, & quam inique Solinum Salzthalium ejus cauſa vellices, diſce quid ſit Antimonium Magicum Suchtenii & Arſenicum verum Philalethes in experimentis Mercurii Sophici; & unde conſtent Arcus Triumphales Solini Salzthals fontinæ minerales, & tum, ſi adhuc S-- eſſe vis, offerre poſſes Regibus realitates, nam reliqua omnia ſunt vana.

3. Suchten cujusdam Auri meminit ex ſuo Mercurio fieri, quod Sophiſticum vocat, quia rurſus cum Mercurio in Mercurium in amalgamatione vertebatur, Philalethes vero hoc Aurum verum illud Phyſicum Aurum, Arti ſummè neceſſarium & proficuum; ſpecialemque ejus probam eſſe, quod levi Amalgamatione Mercurificetur, opus mire acceleret, vide ergo quam invidus fuerit Suchtenius, & Lectorem ab hoc Auro deterruerit, & quam ingenuus Philalethes fuerit, qui hoc Aurum notaverit & commendaverit, & qualis tu fuiſti, qui ex Marte per Aquam Regis illud Aurum extrahere voluiſti, quod licet forte ex ſcoreis extraheres, Philale-

thes tamen obinde teſtam repudiare jubet in Regulo, quæ licet tota Aurum eſſet, noſtrum tamen Aurum non eſt, nempe Arſenicum noſtrum rubrum, tingens, ſeu ſulphur Arſenicale, aut Arſenicum Mercuriale, cujus Suchtenius tamen meminit, cum ait: contigiſſe ſibi aliquando, quod Luna optima Aureo colore tincta eſſet, ſed quod hæc operatio fallat, niſi bonum Chymicum habeat.

4. Suchtenius totus invidus & infidus non ab Auro modo phyſico lectorem abducit, quod pro Sophiſtico declarat, ſed & paululo illo vulgari, quod inde elicitur hujus viæ ope, Lectorem carere vult, quia dicit fieri ſine utilitate, & tantum modo Auri, quantum fuerit Mercurii Martis, ubi prorſus reticuit ad minimum ſemi- unciam Martis Mercurii ex qualibet libra Martis elici, & quod de reliquis Mercuriis corporum ait, illos nullam formam Auri habere, ibi tacet de illorum Arſenico, quod in pulvere nigro ſecernitur, & quod tamen hic in Marte Mercurium Martis vocat; Philalethesècontra ingenue fatetur, ſe verum Aurum & Argentum ex Materia nota adduxiſſe, & omnem Mercurium corporum, multo plus Mercurio comuni ad opus & augmentationem facere. Denique Suchtenius ſub finem fatetur nullam

Tin-

Tincturam acquiri poſſe, niſi Aureitas in Mercurium introducatur, & quod illa Aureitas ſit in ſolo Auro Martiali, quod tamen omnes prius fuerint mortui, quam artem Adepti, quam ille Lectori perſequendum diſſuadet. Philalethes è contra non modo ſe ex Auro Phyſico, ſed etiam ex communi corporali feciſſe atque facturæ utrique ſupervixiſſe, quippe ſe adhuc in vivis eſſe publice teſtatur, omnes ad hanc artem vocatos adhortatur, ipſam artem ut poſſibilem & utiliſſimam generi humano commendat ac defendit, vide ergo, quam non Anglus ille Philalethes ingenuior fuerit Germano noſtro Alexandro Sedonio, quem artem forte non eo usque poſſediſſe objicies, ſed lege quæ *Toxites* in præfatione ad illum, & quæ Daniel Sennertus libr. 5. Naturalis ſcientiæ cap. 1. de Alexandro Sedonio ſcribat, quæ nempe Projectionis documenta Coloniæ, Baſileæ & aliis in locis fecerit, ſi tamen hic Sedonius unus idemque ſit cum noſtro Suchtenio, quem tamen diu vixiſſe *Toxites* affirmat, & Nobilem Boruſſum eſſe, quem tamen Sennertus Scotum facit, ſed hoc nihil ad nos, niſi quod G - - noſter peſſime & præſumptuoſe fecerit, quod in Philalethem invehatur, cujus tamen veſtigia ipſe ſequitur, cujus doctrinam nehilum pluris propagavit

vel elucidavit, potius in dubium vocavit, interim artem quam Philalethes in experimentis Mercurii Sophici gratis orbi exponit, Angliæ Regi pro quinquaginta Millibus Librarum Sterlingarum vendendam offert, quam nempe in Tameſin portat. Ex quibus tria finaliter contra G - - obteſtor:

1. Si Authores reprehendere vult, convincat illos clarè, adducat experimenta, illuſtret Philoſophiam majori luce, ſcribat ex ſuo cerebro, & non compilet illorum ipſorum labores, quos vellicat & aliis vendendos offert.

2. Si Tincturam habeat vel acquirat, quæſo non ſumma vendendam proſtituat, prorſus enim non Philoſophicum eſt Regibus Tincturam offerre, taceo vendere.

3. Si Adeptus ſit, ſervet leges Adeptorum, & non convicietur in alios Adeptos, imò maxime Philoſophos; ſic enim, ſi hæc tria puncta non curabit, non erit Trismegiſtus Monarcha, ſed à toto orbe habebitur pro ſtulto & calumniatore.

Interim non eſt quod timeat, quod aliquis ſub Pantaleonis nomine ſcribere velit, utpote quod nomen ipſe G - - magis proſtituerit, quam Venetiæ in Bacchanalibus Nobiles Veneti Pantaleones agant, & ſe ſub nomine iſto ludicros populo proſtituant.

IN-

# INDEX
## RERUM ET VERBORUM.

Adeptorum pericula 35.36
Aër 7.14
Æs Philoſophorum 41.42
Amalgama 44.53
Amalgamatio 21
Antimonium ſive Magnes 12
Aqua Sophica 7.15.18.19.43.44.57.58.76.77.82.83.99
  Philoſophorum duplex 17
Aquæ & Salia agunt extrinſece 33
Aquilæ 17.18.19.20.23.24.52
Arbor Philoſophorum 90.93
Argentum finum 39
Aries 12
Arietis Domus 12.31.33
Arſenicum 7
Aſtrum Septentrionale 12
Athanor 59
Auri digeſtio 79
  ens primum 32
  liquatio 58.67
  Minera 11
  purgatio 51
  ſolutio 83
Aurificandi principium 20
Aurum duplex 5
  crudius 4
  Fixum i. e. in Igne permanens 5
  ſine forma agens 5

Aurum Incrudatum 42
Lamellandum 44
limandum 51
Maturum ſive album 3
Mortuum 4.42
Obryzum 39
Philoſophorum 3.4.60.61.63
putrefactum 25.44
Vivum 43
Cadmi ſocii 7.9.24.23
Caduceus 9
Canicula Armeniæ 73.75
Canis Coraſcenus 73.75
Cava quercus 9
Chalybs 7.10
Chalybis minera 11
Chaos 7.13.14.15.19.43.60.75
Circulatio 84.88
Coagulatio ante ſolutionem 78
Cœlum 14
Philoſophorum 13
Cœli Luminaria 14
Cohobationes Naturarum 35
Colores in Opere Philoſophico 74.77.78.84.92.95.96
Columbæ Dianæ 8.16.20.31
Corvus 87
Dianæ Columbæ. vid. Columbæ Dianæ.
Domus Arietis. vid. Arietis Dom.
Draco Babylonienſis 8
igneus 7.19.20
Fæces Arſenicales 17
Fermentatio 96.98
Fermentum 77.98

Florum Combuſtio 76
Furnus 59.64
Hermaphroditus 20
Ignis 3.7.8.12.25.43.61.78.83.85.88
Internus 28
Imbibitio 99
Imperfectum & Perfectum 33.64
Labyrinthus 61
Lac Virginis 62.69.94
Lapis Philoſophicus 3.58.91
Lapidis Definitio 5
Lapis primi Ordinis 65
Inferioris Ordinis 101
tertii Ordinis 99
Ignis 70
Lato flavus 3
Leo 8.18.87
Viridis 8.9
Liquor Saturniæ Vegetabilis 7
Ludus puerorum 82
Luna Viva 32
Lunariæ ſuccus 70
Magnes 7.11.12.20.31
Marcaſita 20.33
Mars 20
Materia ad totum opus 9
Proxima 60.67
remota 60
Menſtrua corroſiva 28
Meretricis 7.22
Mercurii Caduceus 8
purgatio 52.8
Mercurii proprietas 5
vinculum eſt Luna 8

Mercurii animatio 20
Imperfectio 33
Mercurius Auro ſimillimus 28
Hermaphroditicus 32
neceſſarius 41
Philoſophorum 3. 4. 7. 44. 50. 83
Vulgi 4. 25
ut tractetur 16. 29
i. e. aquila 20
noſter 5. 59
ſummè frigidus 6
vulgi eſt corporalis & mortuus 6. 59
eſt per ſe ſublimandus 8
Calidus extrahitur per Mercuriũ Vulgi 8
animatus 8
amalgamatus 17
animatus 17. 26. 33. 63
quomodo figendus 33
Coagulatus 33
Lunæ 59
Solis 59
duplex acuatus per Regulum 71
& qui alia Metalla in ſe continet 71
primi Ordinis 72
Mercurio Aurũ additur pro Sulphure coagulãte 49
Metallorum origo 28
primum ens 24. 31
Metaphoræ Philoſophicæ 59
Minera perpetua 24
Philoſophica 27. 72
Jovis 27
Saturni 27
Multiplicatio 100. 101
Nigredo 84

Nym-

Nymphæ 9
Opus Mulierum 80
primum 17.21.61
ſecundum 18
primi Ordinis 65.91
inferioris Ordinis 101
tertii Ordinis 99
Perfectum & Plusquamperfectum 33
Plumbum Philoſophicum 79
Pondus 57
Præcipitatum album 77
Præparatio prima 17.21.22.61
Primum ens Metallorum 24.31
Projectio 102
Proportio 55
Pulvis Aurificus 24
Putrefactio 25.32.44
Rebis 83
Regimen Operis 80
Jovis 88
Lunæ 89
Martis 93
Mercurii 81
Saturni 87
Veneris 91
Regis balneum 9
Regulus Clavis eſt noſtri Operis 11
Martialis appellatur Chaos 9.16
Luna noſtra 9
Magnes & Chalybs 9
Regulus Antimonii Martialis 19
cur morſus à Cane rabido 20
Rotatio prima & ſecunda 33
Rubedo 77

Sabbathum Quietis 16
Sal Naturæ 30
Philoſophorum 5.6
Ens primum 28.33
Salia reſuſcitativa 59
Saturni proles 29,30
Saturnia, ſ. Antimonium 9
Vegetabilis 7
Saturnus 79.8
Semen Metallicum 33
Spirituale 25
Senſus dictorum 51.59
Serpens qui metalla vorat 9
Sigillum Stellare 12.33
Signum Omnipotentis 10.12
Sol Philoſophorum 61.66
ens primum 28
Solutio Philoſophica 86
difficilis 83
ante Coagulationem 79
Sperma fœmineum 4
Maſculinum 4
Stella in Oriente Philoſoph. Reg. 11
Subjectum 3.60.67
Sublimatio repetita 19.24
Sulphur congelans 41
in domo Arietis 31
Verum 15
Metallicum 30
Sumptus 58
Terra arida 15
Matrix Mineralium 13
Virgo 94
Tinctura ad album 91
Vas 56.75
Venus 30.70
Via brevior 72.80
Longior 24.27.34.72.75.80
Vita ſeu Sulphur Agens 33
Uſus Artis 104

F I N I S.


יהוה
Anael
Michael
Samuel
Gabriel
Was Unten
ist Meist
Was Oben
Wie Daß
Gleich Zu Erzeigen
die
Kleine
World
Von Einem All:
Zu Einem

Samuells
3 Schriften